





JOHANNIS DE WICLIF

TRACTATUS

DE OFFICIO PASTORALI.

E CODICE VINDOBONENSI

PRIMUM EDIDIT

GOTTHARDUS VICTOR LECHLER

THEOL. ET PHILOS. D. AA. LL. M. IN UNIV. LITT. LIPS. THEOL. PROF. PUBL. ORD. DIÖC. LIPS. EPH.
PASTOR AD AEDEM THOMANAM.

LIPSIAE

PROSTAT APUD A. EDELMANNUM,
BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

MDCCCLXIII.



EDITORIS PRAEFATIO.

Quicunque ullo tempore de Christi ecclesia bene meruerunt, cum aliis rebus tum eo, quod de officio pastorali senserint, inter se distinguuntur. Namque hac in re, quippe in angustiori spatio, comprobari oportet, quid sanum, salubre, solidum, quid vanum, inutile, perniciosum sit. Et quotquot viri memoria posterorum digni in rebus divinis aequales juverunt, iidem officio pastorum bene exercendo profuerunt, v. c., ut a nostra ipsorum aetate ad secula antiquiora regrediendo quosdam saltem commemorem, Schleiermacherus, Wesley, Spenerus, Calvinus, Lutherus. Verum ulterius respicere libet. Johannem de *Wiclif* inter omnes, qui ante restaurata sacra veritatis evangelicae testes extiterunt, magnopere eminere satis constat. Et ipse quidem pro officio pastorum rectius aestimando, fidelius exercendo, vitae sanctimonia ornando omnibus animi viribus intentis, nec sine fructu laboravit. Quae vero de cura animarum diligentius agenda, de animis non fabularum ope delectandis sed evangelii verbo nutriendis identidem exposuit, ea ipsemet re exercuit, cum Luterovorthi in comitatu Leicestrensi degens officio rectoris hujus parochiae per decennium summa cum pietate et fidelitate fungeretur. Neque desunt monumenta, quae testimonio sint, quanto studio, quanta industria evangelio praedicando operam navarit, sermones dico circa trecentos, quorum nonnisi fragmenta aliquot hucusque edita sunt. Praeterea Wiclifus nonnullis sacerdotibus auctor fuit ut evangelium per varias Angliae partes peregrinantes praedicarent. Jam ex annalibus v. c. Thomae *Walsingham* et Henrici de *Knyghton*, nec non ex conciliorum et convocationum actis litterisque publicis compertum habemus, quantopere adversarii huic instituto repugnaverint. Wiclifus ipse plus semel illorum amicorum mentionem injicit; quae vero aut ad ipsos aut ad eorum usum scripsit, usque adhuc minima ex parte doctis enotuerunt. Una tantum brevissima „*Epistola ad simplices sacerdotes*“ a doctissimo et reverendo viro *W. W. Shirley* in prooemio ad „Fasciculum Zizaniorum“ scripto p. XLI. 1858 edita est, quae vagantibus illis praedicatoribus data esse perhibetur. Sed neque epistolam illam sensu proprio dixerim, neque ad ejusmodi sacerdotes scriptam esse crediderim. Multo majoris momenti mihi videtur esse tractatus Johannis de Wiclif „*de*

sex jugis" inscriptus et tabulam ut ita dicam oeconomicam („Haustafel") complectens, quem in usum praedicatorum illorum compositum esse, libelli ipsius exordium luculentissime testatur ita se habens:

> Ut simplices sacerdotes zelo animarum succensi habeant materiam predicandi, notanda sunt *sex iuga* secularis brachii, que trahunt efficacius currum Christi: *primum* est inter Christum et fideles simplices viatores, *secundum* est inter coniuges secundum legem coniugatos, *tercium* est inter parentes et filios naturales, *quartum* est inter patresfamilias et suos mercenarios et eis seruientes, *quintum* est inter dominos seculares et suos seruos vel tenentes, et *sextum* generaliter inter proximos conuiuentes cet.

Opusculum hoc in Codice infra describendo f. 161[a] — 165[b] extat. Igitur quid *Wiclifus* de officio pastorum senserit, quid de rectoribus parochiarum et curatis suae aetatis judicaverit, quid de officio pie ac recte obeundo docuerit, cum ex Trialogo tum ex fragmentis quibusdam passim editis colligi potest. Nihilominus exoptatissimum fuerit, nos habere, quae vir eximius hac de re data opera et continuo et plene scripserit. Nec latet rei peritos, esse in Codicibus et libellum *de clericorum ordinatione* et alios similis argumenti, qui quum de ordine et consecratione potissimum agant, haud omnibus numeris sufficiunt. Verumenimvero tractatus quidam a Wiclifo de officio pastorali ipso copiose et graviter conscriptus in Codice uno invenitur. Cujus libri notitia quantopere delituerit, inde elucet, quod in opere copiosissimo clarissimi *Roberti Vaughan* inscripto: *The Life and Opinions of John de Wycliffe illustrated principally from his unpublished manuscripts*, ed. 2. Lond. 1831, licet amplam ineditorum Wiclifi operum tabulam exhibeat, Vol. II, 385 sqq., tamen vel minima tractatus illius mentio intermissa sit. Igitur post Johannem *Lewis*, qui 143 abhinc annis Johannem Baleum secutus (Scriptorum illustr. majoris Brytannie Catalogus 1557. Centur. VI. f. 453.) tractatum nostrum brevissime tetigit (*The History of the Life and Sufferings of John Wiclif*, D. D. 1720. ed. Oxf. 1820. p. 195 Nr. 83), fere omnes, qui de Wiclifo scripserunt, librum hunc penitus ignorasse videntur, etsi doctissimus vir Michaël *Dénis* in libro inscripto: *Codices Manuscripti* theologici bibliothecae palatinae Vindobonensis latini Vol. II. 1794. f. 1437 tractatum hunc bene indicavit. Cum ex hoc opere Michaëlis *Dénis* cognovissem, tractatum illum in Codice Vindobonensi asservari, et mirabili praepositorum humanitate atque liberalitate concessum mihi esset, ut Codice ipso uterer, libellum illum oblata occasione integrum edere constitui.

Verum Codex ipse Vindobonensis, tractatum quoque *de sex jugis* complectens, jam numero 1337, antea 295, apud Mich. Dénis CCCLXXVIII. notatus, foliis 258 membranaceis in quarto q. d. constat. Liber seculo XV. per binas columnas, quae plerumque 44 lineas amplectuntur, satis accurate quidem sed multiplicibus scribendi compendiis exaratus et prima in pagina venuste ornatus est. Rubrae et caeruleae litterae initiales alternantur. Capitulorum singulorum partes litteris A. B. C. margini adscriptis

distinguuntur. Primae sententiarum omnium litterae sive punctis sive lineolis rubris insigniuntur; scripturae sacrae loci in tractatu laudati lineis rubris subductis notantur, nec non aliquot librarii peccata punctis suppositis insignita verbis in margine rubro adscriptis emendantur. Codex quinquaginta Johannis de Wiclif opuscula continens in Anglia ipsa scriptus et in Bohemiam perlatus esse videtur, scilicet ex voce „Lymburg" in margine tabulae indicem singulorum opusculorum exhibentis intelligitur, librum civitatis Lymburg sive Nimburg fuisse, quod oppidum ab urbe Praga orientem versus ad fluvium Albim situm est.

In hoc igitur Codice et primum obtinet locum et amplissimus est omnium, qui ei insunt, libellorum, tractatus noster *de officio pastorali* inscriptus, qui viginti folia sive quadraginta paginas explet, in duas distributus partes, quarum prior 18, posterior 12 capitula continet. Priori illa parte de sanctimonia vitae, posteriori de salubritate doctrinae agitur.

Ceterum hoc revera „doctoris evangelici" genuinum esse opusculum, haud dubito, quum nec res ulla impediat, quominus Wiclifo ipsi tribuatur, et totus liber ingenium et mores et pietatem et doctrinam viri mirabili modo sapiat. Quae quum ita se habeant, jam quaerendum esse videtur, quo potissimum tempore tractatus ille conscriptus sit. Etenim priusquam Robertus *Vaughan* de vita Wiclifi egit, de temporis ordine, quo singula viri et opera et opuscula scripta essent, nil ferme cognitum fuit. Sed doctissimus ille scriptor de plurimis, quibus utitur, Wiclifi libris quaestionem instituit, quibus annis singuli compositi essent. Nihilominus hodie etiam hac in re multa obscuriora sunt. Nonnulla alia clarissimus ille, quem supra commemoravi, W. W. *Shirley* Oxfordensis perscrutari coepit. Verum de nostro libro, quippe quem viri docti ne nomine quidem tenus cognoverint, nihil omnino hucusque constat. Ceterum argumentis ex ipso libri tenore haustis commotus colligere haud dubito, opusculum nequaquam postremis Wiclifi annis, sed priori aliquo tempore conscriptum esse. Maximi certe momenti esse videtur hoc, quod ne minima quidem disputationis contra doctrinam de transsubstantiatione q. d. habitae vestigia deprehenduntur, quum constet, inde ab anno salutis 1381. vix unum doctoris evangelici opusculum extitisse, quin illud ecclesiae romanae placitum saepius et acerrime impugnaret. Verum si quis argumenti hujus, quippe *a silentio* ducti, auctoritatem infirmaverit, contra monuerim, eo mirabilius futurum fuisse silentium Wiclifi de doctrina illa, quo saepius auctor in ipso hoc libello et missae mentionem injecerit, et superbiam sacerdotum multorum, cui augendae doctrina illa haud exiguum inserviebat, reprehenderit. Itaque opusculum nostrum posteriori ullo tempore quam anno 1380 scriptum esse, negaverim. Accedit, quod cautio quaedam auctoris disputantis animadvertitur, quippe qui acerrimas quasque sententias non ut suas ferre soleat, sed velut aliorum opiniones commemoret, e. gr. I, c. 13; II, c. 8, quae cautio non solum a postremis viri operibus inde ab anno 1381 compositis abest, sed etiam post exortum anno 1378 grande illud ecclesiae latinae disci-

dium vix deprehenditur. Qua re permotus ulterius procedendum et libello nostro aetatem anno 1378 priorem attribuendam esse duxi. Cum iis quae hucusque indicata sunt istud quoque convenit, quod versio scripturae sacrae in anglicum sermonem a Wiclifo suscepta et circiter annum 1380 absoluta nusquam commemoratur. Verum si quaesiverimus, quem temporis terminum scriptio libri non antecessisse videatur, vix alia via decerni res poterit, nisi in memoriam nobis revocaverimus, doctorem nostrum inde ab anno 1366 sive 1367 primum coepisse res divinas et ecclesiasticas explorare et purgare. Itaque librum neque ante annum 1367 neque post annum 1378, et fortasse propius hunc quam illum annum, compositum esse censeo.

Jam quae per tenorem libri proditur sentiendi ratio veneratione dignissima et vere evangelica apparet. Namque officium pastorale omnibus peccatis purgandum atque in veram animarum curam convertendum esse auctor statuit, adeo ut rectores et curati parochiarum, caritate illa ducti, qua animae hominum plus quam corpora, homines plus quam hominum res diligantur, verbi divini ministerio suis inserviant. Confer egregiam praedicationis et officii sacri laudem partis II. capite 2 celebratam. Accedit, quod sacrae scripturae auctoritas, utpote quae sola et fidei et vitae fidelium norma atque regula sit, dilucide et nervose effertur. Nec indignum memoratu est, quantopere scripturae s. peritus sit auctor, quomodo scripturam iterum iterumque volvat, imo libri nostri medulla ipsa in quibusdam scripturae s. dictis posita sit, v. c. 1. Timoth. 6, 8. Deinde doctrinam quidem de justificatione per fidem solam adipiscenda desideramus, verum de Christi gratia, utpote solo salutis nostrae fundamento, perspicue loquitur auctor. Neque est quod offendamur in eo, quod idem *meriti* humani saepissime mentionem facit, namque aequalium morem sequens vocabulo „meriti“ veluti voce q. d. media utitur, ut animum, voluntatem, mentem hominum significet. Porro Christi vitam veluti speculum infallibile inspiciendum, contra ecclesiam degenerem, cunctis novitatibus dimissis, ad originem apostolicae puritatis, sive ad „religionem Jesu Christi“ (II, 12), sive ad „puram Christi sectam“, reducendam esse iterum iterumque statuit. Denique memoria dignissima sunt, quae Wiclifus cum de matrimonio a sacerdotibus ineundo (II, c. 11), tum de „brachio seculari“ sive de principibus ducibusque legimus. Namque auctor identidem statuit, et magistratui licere et magistratum debere auctoritate sua uti ad corrigendas pravas quae in ecclesiam irrepserint consuetudines, nec non magistratibus prospiciendum esse ut munera nonnisi *idoneis* sacerdotibus deferantur. Neque solum magistratui sive statui politico sed etiam statui oeconomico (ut cum *Spenero* loquar) jus suum vindicat, quippe qui statuat, officium pastoris vacuum per populum ipsum explendum esse (II, c. 7. 9.).

Scribendi genere utitur vivido, alacri, animato, neque ita raro salso atque ironiae pleno. Nec dubium quin ii lectores, qui patientia et fortitudine usi corticem latinitatis mediae asperiorem solverint, nucleo ipso et medulla libri dulcissima summa cum voluptate perfruantur.

De hujus *editionis ratione* pauca adjicere libet. In primis hanc mihi legem scripsi, ut opusculum nostrum, secundum Codicem illum, praeter quem nullum tractatus apographum extat, quam accuratissime et integerrime exprimerem. Verum Codicis ipsius indoles, tam multiplicibus scribendi compendiis insignis, ut lectores haud raro divinari et conjectura efficere cogantur, quid proprie scriptum sit, in causa fuit cur nonnullis in locis, quae lectio vera esset, certissime definire non possem. Quanta autem difficultate lectio prematur, antiquorum codicum periti facile intelligent. Nihilominus hujus libelli lectores rogaverim, ut, ubi in difficultatem aliquam inciderint, nolint continuo editorem accusare, cum saepenumero accidere possit, ut offensionis causa in auctoris ipsius sit stylo. Verum ubi ipse aut prorsus haesitavi aut dubitavi certe, notis adjectis ingenue confitendum esse duxi. In iis vero locis, quibus scriptorem codicis peccasse certo mihi persuaseram, id quod ex mea sententia rectum esset in textu ipso posui, notans in margine, quae lectio in Codice esset. De *orthographia* q. d. hoc observandum visum est, ne a scriptura Codicis facile recederem. Namque etsi scriptio verborum ad modum classicorum q. d. auctorum instituta lectoribus facilior fuerit, tamen ut hanc ingrederer viam propterea a me impetrare non potui, quod periculum esset, ne cum verborum habitu et scriptione libri ipsius indoles nativa et genuina corrumperetur. Etenim ipsae vocabulorum formae suam habent vim, suum in cognoscenda medii q. v. aevi natura et historia momentum ut ita dicam philologicum. Quum vero in edendo hoc libello peculiaris scriptio mediae latinitatis constanter observetur, lectoribus assiduis non ita arduum videbitur, integram perlustrare disputationem, etsi scripta inveniant verba e. gr. m*i*sticus, presb*i*ter, cet. pro m*y*sticus, presb*y*ter, contra *y*doneus, *y*mago, *y*ronice pro *i*doneus cet., etsi videant *h*ostium potius quam *os*tium, contra *ypp*ocrisis, *e*dus pro *hy*pocrisis, *ha*edus, aut legant mi*chi*, ni*ch*il, porro o*c*ium, gra*c*ia, a*c*cio, to*c*ius, stri*c*cior, non o*t*ium, gra*t*ia, a*c*tio cet, denique c*e*pit, p*e*n*e*, vit*e* pro c*oe*pit, p*oe*n*ae*, vit*ae*. Ceterum ubi scriba ipse inter diversos scribendi modos incertus fluctuat, rectam et nativam scribendi rationem, si eadem interdum deprehendebatur, pravae anteponendam esse duxi; hanc ob causam non scribendum ratus sum d*y*abolus, *J*ehenna cet; sed d*i*abolus, *G*ehenna. In signis *interpunctionis* q. v. commode ponendis haud exiguum elaboravi, et spes me tenet fore ut lectores in intelligendo disputationis tenore aliquantulum eo adjuventur, quod, ubi sententiarum nexus postulabat, verba in Codice ipso aut inter se conjuncta separaverim aut separata inter se conjunxerim. Quotiescunque scripturae sacrae loci laudantur, nec nisi libri librorumque capita commemorantur, versus ipsos non sine parenthesis q. d. signis indicandos esse putavi. Praeterea paucis in locis, ut aut insolita mediae latinitatis vocabula interpretarer aut sententiis ipsis aliquid lucis afferrem, notas brevissimas adjicere libuit. Namque et grammatica ratio et verborum copia hujus sermonis propria suis reguntur legibus, grammatica scilicet cum in formis vocabulorum flectendis et derivandis, tum in sententiis construendis atque nectendis. Quod ad

copiam verborum attinet, Glossarium mediae et infimae latinitatis a Carolo *Du Fresne* editum, *Henschelii* opera auctum (1840—1850) neque huic libro neque reliquis Wiclifi aliorumque Angliae scriptoribus facilius legendis sufficit, cum doctissimi auctores ex Franco-Galliae potissimum scriptoribus et documentis materiam glossarii hausisse videantur.

Ceterum optaverim et spero, futurum esse, ut opusculum hoc viri de ecclesia Christi in primis meriti, inter illos qui proximis ante sacra instaurata seculis testes veritatis extiterunt, facile primi, non sine fructu perlegatur, et libro, quem hucusque oblivio obscuraverat, ad lucem protracto auctoris egregii animus aliquantulum illustretur.

Dabam Lipsiae
Idibus Majis
a. s. MDCCCLXIII.

TRACTATUS DE OFFICIO PASTORALI.

Cap. I.

Cum duplex debet esse officium christiani, ad quod fideles diligenter attenderent, scilicet purgare ecclesiam militantem a spuriis vitulaminibus, in pastore summo, qui est vitis tocius ecclesie, non fundatis, et palmites eius disponere, ut melius fructificent ad beatificacionem eiusdem ecclesie, e dicto superficialiter de sectis quatuor, que ad edificacionem ecclesie eiusdem patule sunt nociue, restat videre leviter *de officio pastorali*, ut per dei graciam et istam sentenciam, tres partes ecclesie militantis magis fructificent. *Duo* autem sunt, que *pertinent statui pastorali*, scilicet pastoris *sanctitas* et *doctrine* sue *salubritas*. Debet enim esse sanctus, in omni genere virtutum adeo confirmatus, ut pocius omnia genera confederacionis humane, omnia mundi temporalia, eciam vitam mortalem desereret, antequam a veritate Christi culpabiliter declinaret. Et patet per illud Matth. 10 (37): „qui amat patrem et matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus." Et Luc. 14 (26) narrantur septem, que propter postposicionem amoris Christus docet nos odire. Et sic pastorem quemlibet necesse est vel curatum supereminenter instrui in tribus virtutibus theologicis, que sunt fides, spes et caritas, et essencialiter dominus Jesus Christus. Aliter enim non haberet Christi similitudinem ad ponendam animam suam pro ouibus et eas fideliter informandum. Et patet ista sentencia *racione*. Nam nemo debet peccare saltem venialiter pro aliquo bono mundi nec declinare a vita Christi, quod foret nobis tam facile, quam facile est peccare, dum est peccatum notabile; ergo nemo debet sic facere pro aliquo mundi bono. Vita quidem Christi est exemplar nobis et speculum, ad ipsum, quantum sufficimus, imitandum. Patet eciam ex *fide*, cum vita sua sit optimum exemplar possibile in persona humani generis; et ad hoc fuit specialiter incarnatus, ut humanum genus redimeret et viam virtutum cum suis fratribus exemplaret. Cum ergo nemo habet sufficienciam nisi a domino deo nostro Jesu Christo, patet quod quilibet post Christum, de quanto non exercitat ipsam sufficienciam ad imitandum Christum in moribus, de tanto peccat abutens tam gra-

ciose exhibita potestate. Erubescat ergo infidelis antichristiane simulans, quum de peccato arguitur, per hoc, quod Christus non hoc sed eius exemplum oppositum exemplat: quis, inquit, potest esse Christo similis vel perfeccionem suam attingere? Apostolus quidem ad Hebreos 2 (17) docet, quomodo Christus factus est fratribus *similis* suis. Et sic licet nemo alius possit perfeccionem Christi *attingere*, ad hoc tamen gratis donat nobis potestatem, quod in conversacione ipsum sufficimus moraliter *imitari*. Ideo non dubium, quin de tanto christianus peccat et non aliter, de quanto non exerceat datam potestatem ad Christum in moribus imitandum. Et istud docet egregius doctor *Augustinus* in libro suo de vita christiana particulariter descendendo.

Cap. II.

Ex isto principio fidei, quod signanter a fidelibus potest vocari aureum, plane deriuatur[1]) regula, quam tradidit Apostolus 1. Timoth. 6 (8): „habentes, inquit, alimenta et quibus tegamur, hiis contenti simus.“ Quod patet sic: quilibet debet secundum ultimnm sue sufficiencie sequi Christum in moribus. Sed quilibet sacerdos, curatus vel pastor habet sufficienciam ad sic sequendum Christum in moribus; igitur istud debet. Et hoc mouebat apostolos et alios sacerdotes domini post ipsos ad Christum in paupertate ista ewangelica imitandum. Intelligit autem apostolus per „alimenta“ cibum scilicet et potum, qui sufficiunt pro nutrimento. Non expressit autem lauticias vel alimentorum superfluitates, sed dicit simpliciter „alimenta“, hoc est illa que conueniunt nutrimento corporis ad deo debite seruiendum. Et intelligit per „tegumenta“ tam corporis vestimenta, quam eciam domos congruas, quas ad fidelem secundum istud seruicium ab ymbribus et caumatibus protegendum....[2]) Quid, rogo, de hiis temporalibus plus faceret viatori? Et cum habemus peregrinacionem istam a domino pro beatitudine consequenda, sequitur, quod omnia, que superessent[3]), forent superflua et peccatum. Ideo dicit Apostolus ubi supra[4]): „nichil intulimus in hunc mundum, haut dubium, nec aliquid inde auferre possumus.“ Ideo cum radix omnium malorum sit cupiditas, concludit Apostolus per predicatam regulam, que debet a pastoribus specialiter obseruari, sicut fecerunt Christus et sui apostoli. Et ex isto principio patet fidelibus, quam notabiliter iste secte quatuor cum aliis ab isto principio fidei declinarunt. Nam omnes hee quatuor congregant sibi superflua regulam illam apostolicam nimis excedendo, et hoc patet ex subtraccione sui seruicii scilicet in labore plebis, et ex causa pro qua hanc regulam apostolicam sic excedunt. Nam diabolus, mundus et caro sunt causa indubie, quare

1) deriuatur] deuiratur, MS.
2) Hoc loco vocabulum aliquod in fine sententiae positum scriptoris incuria excidisse liquet.
3) que superessent] omnia superessent que MS.
4) 1. Timoth. 6, 7.

superflue sic ditantur; sed quis dubitat, quin occasio ab hiis accepta tribus hostibus inducit peccatum? Nam cupiens temporalia ultra istam mensuram apostoli, ut in voluptatibus volutetur, peccat ut sic in carne propria. Et excedens istam mensuram apostoli, ut fiat mundo inclitus, peccat ut sit peccacio [1]) in mundum. Et cupiens propter honorem humanum vel aliam inutilem excellenciam proximos superare incurrit peccatum diaboli. [2]) Et cum nulla via nisi incidenter aliqua istarum trium excederetur regula apostoli, patet quomodo excelsus peccatum sapiat plus vel minus. Ideo sunt sacerdotes notabiliter increpandi, qui propter honorem humanum siue mundanum excedunt hanc regulam, cum dicunt infideliter, quod honor mundanus est pocior quam diuinus, quia honor celestis foret seruare Christo conformius legem suam. Et non minus culpandi sunt sacerdotes aliqui qui dicunt, quod ultra istam mensuram congregande sunt diuicie, ut largius elemosinas parciantur. Nam spiritualis elemosina, que consistit specialiter in salubri doctrina, infinitum excedit quamcunque elemosinam corporalem. Aliter enim Jesus et sui apostoli forent stulti; sed que maior blasfemia? Nec valet tercia excusacio in peccato, quod thesaurisande sint curato diuicie ad ipsum contra infirmitatem et se ipsum defendendum; quia idem foret istud asserere et in isto cumulo Mammone plus confidere, quam in domino Jesu Christo.

Cap. III.

Sed contra istud obicitur *primo* per hoc, quod non foret approbatum a deo brachium seculare, cum necesse sit ut habeant dominia ultra alimenta et tegumenta ad suum officium peragendum. *Secundo* per hoc, quod apostoli elegerunt VII. dyacones, ut elicitur Actorum 6 (3 sqq.), ad distribuendas elemosinas corporales e gentibus; licet ergo presbiteris, tam minoribus quam maioribus, dare elemosinas prudenter egentibus corporales. *Tertio* per hoc, quod apostolus docet 1 Timoth. 3 (2. 4), quod episcopus debet esse hospitalis et domui sue bene prepositus, quod non foret, nisi haberet ultra propria necessaria alimenta. Igitur licet episcopo tam in alimentis quam in tegumentis ultra propriam necessitatem excedere. Et pari euidencia vel maiori hoc licet pastoribus vel curatis, hic dicitur, quod impossibile est regulam apostoli reprobari.

Et quantum ad *primum* obiectum, dicitur, quod Christus ordinauit esse temporales dominos et adaptauit illis dominium seculare, ut patet in tractatu de seruis et euidenter ex hoc, quod Christus dedit didragma Cesari [3]). Christus igitur omnisciens non sic faceret nec culpam illam reprobatam sineret, nisi status secularis dominii foret ab eo ad utilitatem ecclesie approbatus. Et patet quod assumpta consequencia est neganda. Sed pro decla-

1) peccacio] dubia hoc in loco scriptura Codicis.

2) peccatum diaboli] auctor innuit, superbientes idem illud peccatum, quo diabolus initio lapsus sit, committere.

3) cf. Matth, 17, 24 sqq.

racione ulterius assumpti est notandum, quod videtur multis apostolum loqui in dicta regula specialiter de sacerdotibus atque episcopis, verum se ipsum connumerat inter illos. Sed extendando verba apostoli ad singulos christianos videtur probabile, posse dici, quod per tegumenta intelliguntur omnia viatori ultra alimenta necessaria ad sui status officium peragendum. Et sic necesse est seculares dominos cum moderamine habere temporalia ad hunc finem. Et quia sepe contingit lapsus in talibus, ideo apostolus prudenter addidit "tegumenta„, intelligendo per "tegumenta„ omnia necessaria ad officium sui status. Et sic licet clericis et aliis laicis habere cutellos et alia instrumenta, que sunt necessaria regimini sui status. Sed iudicet mundus cum fide scripture, si seculare dominium sit necessarium ad peragendum officium pastorale. Tunc autem non diceret Petrus prima Petri 5 (3): "Sed neque dominantes in clero„, nec Jesus Luc. 22 (26): "Vos autem non sic!„ Ideo sicut sunt tres gradus in renunciacione temporalium, sic et in possessione eorum. *Primus* autem gradus renunciacionis est renunciare immoderato amori eorum, quod est necessarium cuilibet saluandorum, dicente Christo Luc. 13 (33): "nisi quis renunciauerit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus.„ *Secunda* renunciacio, que est eciam generalis, est reliccio temporalium, de quanto sunt inutilia officio dati status. Et sic sacerdos et quelibet persona ecclesie non aspiraret ad temporalia superflue possidenda. Sed *tertia* renunciacio est striccior, que pertinet sacerdoti, scilicet reliccio thesauri vel temporalis boni ultra quam est necessarium ad diuinum officium sui status, et sic est impertinens habere sacerdoti seculare dominium vel temporalia in statu diutino ad suum officium peragendum. Videamus quomodo apostoli renunciauerunt hiis temporalibus ad exemplar Christi, et faciamus similiter. Conceditur tamen, quod contingit seculares dominos ymo quod recessitantur in ista renunciacione temporalium, cum abutuntur eis ad voluptatem carnalem ad excellenciam mundialem vel ad accidiosam retencionem eorum quoad officium, racione cuius sunt diuinitus concessa, deus enim concessit seculare dominium, ut homo potestative defendat legem Christi et compellat inferiores intrare in sectam domini. Et seculares propter causam culpabilem communiter hoc omittunt. Sed Job, Abraham et David cum eis similibus longe melius modernis dominis istis dominiis erant usi. Et probabiliter renunciarunt omnibus istis prope mortem, sicut de David elicitur in principio tertii Regum 1, (I. Regum 1, 30. 35) quum regnum reliquerat suo filio Salomoni.

Cap. IV.

Quantum ad *secundum* articulum de officio dyaconorum, certum est, quod illud non sapuit in eis seculare dominium, cum illi fuerant omnes pauperes, non habentes in proprio distributa. Ideo eciam non dicit, quod ipsi dederunt has elemosinas, sed quod ministrabant mensis et quod diuidebatur

singulis prout unicuique opus erat[1]). Ideo nimis leuis euidencia est, ex isto concludere, quod sacerdotes debent congregare diuicias ad faciendas elemosinas corporales. Nec est putandum, quod isti dyaconi sic fecerunt ad istud officium limitati, sic quod non licuit eis facere dignius officium, cuiusmodi est predicare, ut patuit in beato Stephano, sed quod excusabant apostolos ab isto ministerio minus condigno. Et utinam prelati nostri arguentes per locum a simili, similitudinem vellent facere istis credentibus plene similiter! Tunc enim exponerent omnia bona sua pauperibus, nec aliquis eorum, qui possideret aliquid, suum eciam diceret, sed humiliter ministraret mensis pauperum, quum foret opportunitas non operandi utilius ecclesie militanti. Ideo erubesceret antichristus per locum ab ista similitudine sic viuere dominanter.

Ad *tercium* articulum dicitur, quod apostolus voluit episcopos, quos vocat quoscunque curatos, in suis parochiis, cum fuerit opportunitas, residere, et suis ouibus in spiritualibus fideliter ministrare et suscipere officio fideles, hospicio pauperes peregrinos, quibus fuisset lauticia de simplici cibario refouere. Nunc autem nostri prelati peruertuntur in partem diaboli non suscipientes taliter tales hospicio, sed plus seculares dominos et tyrannos, qui non egerent tali elemosina, sed inhumanis lauticiis communiter sunt repleti, et tamen de bonis pauperum sunt sumptuose sine consciencia saciati. Et sic locus gulosorum ab insufficienti similitudine decipit hos satrapas: ut si Paulus precipit, quod episcopus in domum recipiat tales pauperes sic pascendo, ergo nostri prelati debent tales discolos in domum recipere pascendo propter honorem seculi perquirendum et animam eorum via multiplici depascendo. Numquid illa lauta conuiuia fuerunt a Christo et suis apostolis exemplata? Numquid tales prelati fuerunt per arguciam istam diaboli superati: talis donacio vel accepcio alimenti *in moderamine* fuit utilis tam uni parti quam alteri; ergo talis *paulo amplior* foret magis utilis? Reuera pure ethnicus talem erubesceret racionem! Ideo ad ponendum nos in limitibus racionis Christus in omnibus talibus medium proporcionabile et debitum exemplauit. Tales itaque prelati non considerantes spumam voluptuose libidinis, quomodo officit anime sepius plus quam est opus, non attendunt ad istud apostoli verbum 1. Tim. 3 (2): „oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum", hoc est dicere: oportet ipsum, dum carnalis fuerit, cum una uxore viuere continenter et non in spirituali vel corporali luxuria magis perhibere[2]) latere contra Christum. Nunc autem episcopis habentibus uxores excederent ipsi propter inproporcionem in mundi diuiciis atque honoribus plurimas comitissas. Et patet, quante antichristus adulterando verba apostoli a spiritus sancti sentencia declinauit. Ubi enim episcopus secundum legem dei debet esse domui sue, tam subditis corporalibus quam spiritualibus quam domui sue priuate, spiritualiter bene prepositus, labitur in utroque, quia cum bonis pau-

1) Act. 6, 2 cf. 2, 45.
2) Vocabulum hoc usitatum videtur sensu opinandi sive cupiendi.

perum conducit plus petulantes et lasciuos armigeros, qui non secum in virtutibus sed omni genere vicii sunt instructi. Et de negligencia in pastu suarum ouium non est hic facile declarare. Ideo ubi apostolus dicit, quod debet tali domui esse bene prepositus, diabolus sic seducit, quod debet domui Sathane male prepositus.

Cap. V.

Ex istis elicitur, quod omnes curati secundum legem domini introducti debent pure viuere de corporali elemosina subditorum. Si enim habent redditus vel sufficienter mundi diuicias, debent ipsas relinquere in corporales elemosinas sui ouilis, et deficiente alimento aliunde debent in recompensacione caritatis viuere de talibus elemosinis subditorum, et sic utrobique magis dignas, quia spirituales, elemosinas dispartiri. Et sic patet verbum apostoli Actor. 20 (35) sane intelligi: „quod beacius est dare magis quam accipere." Nam plus est honorificum sacerdoti dare talem elemosinam spiritualem, quam accipere elemosinam corporalem. Utrumque tamen est honorificum, cum Christus exemplauit nobis utrumque. Quantum ad spiritualem elemosinam, patet, quod doctrinauit toti ecclesie, quomodo debet viuere, ut patet ex processu ewangelii; nec ad istam doctrinam potest curatus attingere, sed debet humiliter in hoc sequi Christum. Et quantum ad corporalem elemosinam, patet, quod Christus eam cepit a deuotis viris et feminis. Nam Luc. 8 (2 sq.) scribitur: „Maria Magdalena, de qua VII. demonia eiecerat, et Johanna uxor Chuse procuratoris Cesaris, et Susanna et alie multe ministrabant ei de facultatibus suis." Nec dubium, quin, sicut Christus accepit nostras miserias atque pauperiem, sic titulo elemosine hec accepit.

Et patet ex primo principio, quod curati, prelati et singuli sacerdotes Christi debent accipere tales elemosinas instar sui; habent enim ad hoc potestatem a domino, et hoc est magis meritorium undiquaque. Ideo debent in hoc suum dominum imitari. Donarium enim elemosinantis est in hoc magis meritorium, quod plus voluntarium, et ad hoc laboraret sacerdos, ut patet in epistola ad Philemonem[1]) (v. 14). Et quomodo ad elemosinatum patet, quod ea racione ad retribuendam spiritualem elemosinam diligencius laboraret. Nemo ergo nisi rex superbie puritatem istius tituli denegaret. Sic autem licet habuit titulum immensitatis dominii ac originalis iusticie, tamen pro nobis factus fuit egenus et inops; patet de racione, quod illo titulo acceperat ista bona. Et videtur multis probabile, quod Christus, qui venit non legem soluere sed implere, accepit decimas istorum mobilium et istarum decimarum partes aliis egentibus reseruauit. Sic enim confirmasset utramque legem accipiendo partem decimam, que est propria domino dominorum. Et sic *Thobias*[2]) in tercio anno dedit decimas proselitis. Et ut dicitur Matth. 23

1) MS. Philomenem.
2) cf. Tob. 1, 7.

(v. 23): „Ve vobis scribe et pharisei yppocrite, qui decimatis mentam anetum et ciminum, et relinquitis que grauiora sunt legis, iudicium misericordiam et fidem; hec oportuit facere et illa non obmittere.“ Ex quo textu fideles eliciunt, quod Christus deiurgando[1]) decimacionem talium pusillorum, que scribe et pharisei decimant, in presenti docet decimacionem non debere cessare, sicut ipse non desinit esse dominus generalis, sed quod licet sacerdotibus Christi temperate capere de istis decimis, dum tantum digne retribuant recompensam.

Cap. VI.

Ex istis quibusdam colligitur: *quod curatus non debet decimas a suis subditis per excommunicacionem* vel censuras alias *extorquere*, patet per hoc. quod curatus non debet circa talia cum subdito suo contendere. In cuius signum Christus et sui apostoli non exigebant sic decimas, sed fuerunt de alimento et tegumento debitis contentati. Verum in lege nova raro legitur de decimis exhibendis. Et si curatus inde exigat decimas taliter per legem veterem, sciat, quod ad obseruancias alias per decimacionem talem debitas est astrictus. Patet illa conclusio *primo* per hoc, quod nemo excommunicaret subditum vel persequeretur per censuras alias, nisi titulo amoris ad suam stulticiam medicinaliter destruendam. Sed est ad hoc doctrina Christi facilior, remittere subditis talem iniuriam et viuere in officio tali penalius. Igitur hoc debet prelatus facere instar Christi. Confirmatur per hoc, quod Christus, papa generalissimus, transiens per ciuitatem Samaritanorum habuit ab eis tam alimenta quam tegumenta pertinaciter denegata; et querentibus Jacobo et Johanne, si vellet ignem de celo descendere et ipsos reprobos deuorare, Luc. 9 (55): „nescitis, inquit, cuius spiritus estis, filius enim hominis non venit animas hominum perdere sed saluare.“ Et certum est, si non in hoc loco, nullibi excommunicacio vel persecucio pro decimis est fundanda. Similiter ponderanda talis iusticie videtur librare ex condigno decimacionum officium sacerdotis.[2]) Sed illud videtur sapere execrabilem symoniam, ergo sacerdos non debet per censuras tales decimas huiusmodi extorquere. Verum a tempore, quo sacerdotes fuerunt in ordine suo desides, circa censuras huiusmodi indubitanter laborarunt. Paulus autem laborabat, ut patet in Epistola ad Philemonem[3]) (v. 14), ut dacio talis sit voluntaria et plus meritoria donatori. Verum in lege veteri, declinantibus sacerdotibus a condignitate officii sui, legitur, quod extorsiones huiusmodi exercebant, nam primo Regum 2 (1 Sam. 2,12 sqq.) scribitur, quod Offyn et Ffinees, duo filii Heli, erant filii Belial

1) deiurgando] sensu objurgandi, vituperandi dictum.

2) Hoc est: si quis decimas sibi negatas excommunicatione vel aliis censuris adhibitis extorqueat justitiam prae se ferens, eum haud secus agere, ac si fas sit officia sacerdotalia nonnisi decimas tribuentibus praestare, sive sacri officii opera decimis exaequare.

3) MS.: Philomenem.

nescientes dominum neque officium sacerdotis ad populum. Sed quicunque ymmolasset victimam, veniebat puer sacerdotis ad eum dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, et mittebat eam in lebetem, et omne quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi. Et sequitur: „Et veniebat puer sacerdotis et petebat carnem crudam dominis: nunc enim dabis, alioquin tollam vi." Tota autem hystoria potest prelatis nostris hodiernis, filiis Belial, ad sensum misticum retorqueri. Nec dubium, quin sequitur ex regulis catholicis, quod talis extorsio non consonat caritati. Moueant igitur prelati subditos suos per pacienciam, humilitatem et alia opera caritatis, ut dent sibi necessaria de temporalibus ad vitam propriam sustentandam. Et aliunde instar Pauli secundum doctrinam Christi declinet ad christianos alios, nec potest in istis deficere, si ipsemet non ponat obicem, ut ewangelium clare docet.

Cap. VII.

Ex istis fideles inferunt euidenter, quod curatus non debet per censuras vel minas alias temporales dare prelato suo cesareo de elemosinis populi sibi subditi pedagia, que non possunt ex lege domini stabiliri. Si enim papa, cardinalis, episcopus vel archidiaconus a curato subdito requirat talia, certum est, quod ista requisicio est iniusta, quia non in lege domini stabilita; et totum finaliter sonat in spoliacionem pauperum subditorum. Sed iuxta dicta in principio curatus non debet consentire spoliacioni huiusmodi propter pene [1]) inferenciam vel aliquod bonum mundi. Ergo conclusio. Et ista sentencia foret curata pro pseudo prelatis in sua malicia mitigandis, quod seruata ista sentencia pauca vel nulla temporalia reciperent de subditis. Unde prelati dicunt in effectu hodie: „spolia tu pauperes oues et simplices de tanta pecunia, alioquin excommunicabo te in vertice, et ipsos suspendam ab ingressu ecclesie et diuinis." Sed quem fidelem sacerdotem talis blasfema infidelitas ab obseruancia iusticie abstraheret? Nec dubium, quin taliter exacta pecunia in pauperes simplices finaliter redundaret. Et cum secundum fidem apostoli curati tales non possunt a suis subditis ultra tegumenta et alimenta sibi ipsis necessaria vendicare, patet quod sic extorquendo pedagia diabolica spoliant pauperes subditos longe grauius, quam si pastor lanam suarum ouium ad mortale frigus earum crudeliter spoliaret. Unde videtur, quod instanter curatorum, qui nolunt vel nesciunt resistere iniusticie antichristi, est magna causa, quare sic regnat tirrannus illius diaboli. Sed heu ad tantum occupatur ecclesia cum discolis, quod uno fideli curato persistente in isto preposito, sunt mille discoliui diaboli, qui gratanter acceptarent istud officium spoliatum, sic quod coloracius possent ad suum volpium votum populum domini spoliare. Et sic exeuntibus mille volpibus et pastore fideli vel uno vel nullo, populus simplex

---

1) pene] i. e. poenae.

Meandris multiplicibus spoliatur, ut archidiaconi procuratorio, episcopi sinagio vel alio fraudulenter introducto subsidio, quod verius vocaretur apostaticum subsidium, sicut collecta officialis vel decani non vocaretur correccio sed peccati nutricio. Multa quidem talia sunt, quibus nec curatus nec fidelis populus consentiret, sed pocius officium illud desereret, cum aliter amaret plus quam salutem anime sue lucrum temporalium tam turpiter quesitorum. Et reuera talis curatus vel populus sibi subditus in isto consenciens foret a deo notabiliter increpandus, cum certum sit, quod omnes aliquo sex modorum consencientes [1]) isti facinori sunt ut sic a deo grauiter puniendi. Graue quidem peccatum est vel . . . . .[2]), sic spoliare pauperes viduas vel pupillos. Unde sedaretur ista spoliacio, dum populus subditus suo curato ministraret vitae necessarium mensura.

Cap. VIII.

Fideles ex istis eliciunt, quod deficiente curato notorie in officio suo pastorali, licet subditis, ymo debent ab ipso subtrahere oblaciones et decimas et quidquid fuerit occasio ad tale facinus nutriendum. Swadetur primo per hoc, quod Johannes in sua epistola secunda (v. 10) mandat, quod tales propter minorem subtraccionem doctrine a fidelibus non debent tanquam filii dei salutari, ergo multo magis non debet eis pocius applaudi; et confirmatur ex hoc, quod pro minori culpa luxurie debent fideles missas talium non audire, ut patet ex lege papali multiplici, ut 32 distinccione, capitulo: „*Nullus*.“[3]) Quomodo ergo sustentabit subditus officium talium sacerdotum, quod non est dignum ab ipso vel ab alio exaudiri? Similiter talis sic notorie sustentans curatum dat imprudenter elemosinam contra Christum; sed hoc nemo faceret, ergo nec tali curato in elemosina subueniret. Nam Matth. 7 (15) mandat Christus: „Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces!“ Quomodo ergo attendit ab illis, qui dat eis temporale subsidium ad tantum facinus tam nociuum curato prelato et subditis perpetrandum? Non dubium, quin sit contrarium regulis caritatis. Et pro fundacione istius euidencie supponatur, quod talis curatus

---

1) Auctor et hic et alias ex gr. c. 8. *sex consentiendi modos* distinguit, pro more aetatis his versibus significatos:

Consentit operans, defendens, consilium dans,
Ac auctorisans, non iuuans nec reprehendens.

cf. Wiclif, de Symonia c. 8. MS.

2) De vocabulo prolixiori, quod hoc loco scriptum est, rite legendo post plura explicandi pericula non a me solo frustra facta postremum desperavi; verbum q. v. substantivum esse videtur, grave peccatum, sive speciem peccatorum aliquam exprimens.

3) Decretum Gratiani, pars prima, distinctio 32, cap. 5: Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere aut subintroductam mulierem. Corpus juris canonici, ed. Richter 1836. p. 102.

ut sic peccat grauiter tam in deum quam in proximum. Similiter ex fide, quam docet apostolus Rom. 1 (32) et leges multiplices, periculosum peccatum est et crimini consentire; sed sic faciunt qui taliter curato in temporalibus subministrant, ergo ut sic peccant grauiter; quod cum nemo debet facere, videtur, quod ut sic faciunt ut non debent, nam eorum vocata elemosina sic viuentes sustinet et defendit. Et per consequens sic elemosinantes cooperantur inique cum curato et euidencius defendunt ipsimet vitam suam, et per consequens culpam ad vitam huiusmodi consequendam. Et *tercio* istud videtur esse reale consilium: quod quomodocunque tu vixeris, ego tuam vitam culpabilem sustinebo. Nec dubium, quin sic ficte elemosinans tale facinus auctorisat. Et cum subtraccio facule talem ignem peccati extingueret, videtur quod sic parate apponens faculam non iuuat ab igne criminis, sed accendit. Et cum non dicit accute et reprehensiue, quod non volt esse particeps talis criminis, videtur, quod consentit sexto modo[1]) et ultimo negatiuo. Ubi igitur est caritas subiecti, qui sic consensit presidenti? Et hec est plane doctrina apostoli 2 Thessal. ultimo (3, 14): "Si quis non obedierit nostro verbo per epistolam, hunc notate et non commisceamini cum illo, ut confundatur.„ Nec valet hec ficcio antichristi, quod subditus non debet iudicare de vita vel officio pastorali, quia debet iudicare, si recte docet et predicat viam ad patriam. Sed hoc non est magnum et necessarium iudicium, quod antichristus non audet interdicere pre pudore. Similiter Christus precepit Joh. 10: (37): „Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere." Que ergo excellencia Antichristi super Christum, quod subditi debent sibi credere in faciendo opera patris sui diaboli, quod sit dignus recipere elemosinas subditorum! Similiter Christus precepit Matth. 5 (13): „Quod si sal euanuerit, ad nichilum ultra valet, nisi ut foras mittatur et conculcetur ab hominibus." Numquid ista forismissio et ab hominibus conculcacio est elemosine propter nocumentum fraudis ministracio? Constat quidem, quod licet in quibusdam subditis imprudenter subtrahentibus tales elemosinas posset euenire iniuria curatorum, tamen talis subtraccio facta prudenter, quod est satis facile, foret iusta, et ista foret tiriaca[2]) contra symoniacos desides corrigendos.

Cap. IX.

Ex ista sentencia iam proximo dicta prodesset istis nouis ordinibus cum nouis collegiis, quibus per artem nouam appropriantur ecclesie. Sunt autem tres persone, quibus ista appropriacio est inhibita, scil. Monachi, Canonici atque Collegia. Et sunt *collegia* tripartita, scilicet *maxima*, que vocantur ecclesie cathedrales, ut patet specialiter de prebendis. *Media*

1) cf. c. 7 p. 15 not. 1, scil. consentit non reprehendens.

2) Tyriaca, theriacum, antidotum, cf. Du Fresne glossarium mediae et infimae latinitatis, s. v.

autem sunt capelle principum, quibus eadem arte sine auctoritate appropriantur ecclesie. Et *minima* sunt collegia studiorum, quibus omnibus appropriantur decime et suspenduntur opera officii pastoralis. Verum sicut domini temporales debent capere sua dominia de sacerdotibus, qui contra legem domini sunt dotati, sic populi decimantes debent capere suas oblaciones et decimas de istis appropriatis basilicis, dum eis notorie et habitualiter pastoralia officia subtrahuntur. Sic enim posset persona layca et manifestus diabolus constitui pastor in populo ad populum per latam viam, que ducit ad thartaros, seducendum. Et eadem autem est racio de subtraccione elemosine a talibus false fictis curatis siue pastoribus et de aliis personis simplicibus, que in illo officio fideliter non laborant, pro quo illud apostoli adduci potest, 2 Thessal. ultimo (3, 10): „Qui non laborat, non manducet." Quis, rogo, color, nisi sacerdotibus Baal vocatas elemosinas et suffragia manducare et non vere ad imitacionem summi pastoris in illo officio laborare? Reuera certa discrepancia vite et nominis manifeste ostendunt, quod non Christi, qui est veritas, sed antichristi, qui est falsitas, sunt huiusmodi sacerdotes. Et si pro corporali debito laborant homines ad complementum momentanee iusticie corporalis, quanto magis laborarent pro perpetua iusticia saluande anime, cum illa ducit ad patriam, sed per priorem iniusticiam populus ducitur ad Gehennam. Quomodocunque autem quis in isto finxerit, infidelitas est in causa. Et sic utrique, operantes et sui consencientes, incurrunt in hoc grande periculum, sicut acute agnoscetur in iudicio ultimato. Similiter elemosinantes clericos per tales oblaciones et decimas debent cauere prudenter, ne contra Christum nutriant filios antichristi. Sed hoc contingit sepe in hiis tribus appropriacionibus, ergo et decimantibus est diligencius hoc cauendum. Si autem hee due secte vel ista collegia sunt in conversacione a domino reprobate, quis dubitat, quin sic nutrire eos non foret elemosina, sed stulcioris partis contra Christum stulta presumpcio. Nam omnes hee secte et omnes nouitates, que non in Christo domino sunt fundate, temptant Christum cum Sathana Matth. 4 (5), cum spernunt ordinacionem liberam sue [1]) secte et preeligunt seruilem sectam aliam minus bonam, ac si nollent per gradus, quos deus ordinauit, in Sion celestem ascendere, sed per lacionem Sathane ad templi pinnacula transuolare. Que igitur elemosina est, sic fouere puerulum talem diaboli in castris caverniticis [2]) contra Christum? Christus enim ordinauit, quod sui pastores conversarentur cum ouibus docentes eas viam dominicam tam opere quam sermone. Sed antichristus disposuit, quod sui filii in castris talibus a doctrina huiusmodi obmutescant. Et sic populus, qui duceretur per viam domini, a diabolo sepius est seductus. Similiter superbia mundi principum et aliorum fundancium ista collegia, que sunt nidi diaboli, redundant

1) sue] i. e. Christi.
2) caverniticis] i. e. caphernaiticis, capernaiticis.

in consencientes et nutrientes istam superbiam. Cum ergo sic decimantes filiis suis participant ista superbia, videtur, quod hoc ipsos retraheret a consensu, nam quilibet nostrum habet onus nimis graue ex delicto proprio, licet non sibi accumulet participium criminis alieni. Tales enim euidencie mouerent fideles ad consuetudines in Christo non fundabiles destruendum.

Cap. X.

Sed hic multipliciter replicat antichristus primo per hoc, quod videtur, sic loquentes loqui stolide et non ad dicta sua aliquomodo consequenter. Nam videtur ex alibi dictis de sectis, quod ista collegia constituunt nouas sectas, et tamen dictum est, quod non sunt nisi quatuor secte detestande; habent enim cathedrales ecclesie speciales regulas et patronos. Sed hic non contendit fidelis circa contenciones tales verbales, licet quidam dicant, quod non repugnat, istas sectas quatuor in partes plurimas dispertiri, et tamen non sunt nisi quatuor. Sic solum sunt decem res que sunt categorie,[1]) decem prima genera, licet eedem res sint mille vel quotquot habere volueris, cum pars subiectiua sit totum sui superius. Et sic licet sint multe maneries monachorum, canonicorum atque fratrum, tamen omnes ille conueniunt in triplicitate ista communi, et sic prima secta cleri cesarei in se continet multa membra, licet quedam partes sint tanquam folia vel radices, ut quedam collegia non concedunt, se habere alios patronos citra Christum.

Sed dimissa illa contencione verbali queritur quoad excusacionem quorundam in dando tales elemosinas dicencium, quod illas tribuunt non isti persone peruerse, sed principaliter deo suo. Caueat igitur ipse de peccato proprio, quia elemosinans plene facit quod statui suo spectat. Sed sic balbucientes in fide nimis ruditer deuiant, nam tales rudes debent *primo* cognoscere, quod Deus capitalis dominus habet omnia ista bona; ideo deus non requirit solum quod donent sibi ipsa, sed quod dent secundum formam, quam ipse limitat ad utilitatem sue ecclesie. Ideo dicunt loquentes communiter, quod deus est remunerator aduerbiorum. Similiter enim superflue docet et Luc. 14, (12 sqq.) et alibi, quibus personis sint tales elemosine tribuende. Etiam aliter posset stolidus seruus domini ex stulta particione nimis perturbare suam ecclesiam dando discolis dona dei et spoliando fideles et simplices a vite necessariis, quod sepe euenit. Et propter talem sollicitudinem bonum proficiendi creditur, quod Christus et sui apostoli non sic corporales elemosinas sed spirituales facilius ministrarunt. Nam Actorum 3 (6) dicit Petrus: „argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.“ Et in isto excessu spiritualis elemosine super corporalem multi satrape sunt cecati, debet ergo seruus parciens elemosinas tales cauere de sua ceca superbia, cum sit nude seruus domini

---

1) categorie] cate, MS. Categorias easdem prima genera vocat Aristotelem ipsum sequens, qui illas et τὰ γένη (τοῦ ὄντος) et τὰ πρῶτα appellavit.

parciens seruis aliis bona sua. Debent *secundo* attendere, quid parciat? egenis domini ipsa bona, scilicet pauperi debili, pauperi ceco vel pauperi claudo, quia deus ex suo spirituali opere sua suffragia talibus limitauit. Ideo debet sic elemosinans prudenter attendere, quod in particione elemosine non obuiet legi Christi. Et hec est racio, quare sacerdotes et specialiter curati debent esse pauperes debiles; pauperes autem debent esse, in quantum sunt clerici. Et licet contingit eos habere bonum, fortitudinem corporalem, sunt tamen nimis debiles ad perficiendum opus suum pastorale et cum hoc ad viuendum in persona sua propria et sociorum suorum de laboribus manuum tanquam Paulus Actor. 20 (34). Quamuis autem Paulus non fuit desponsatus cum tali laboricio, tamen odiens ocium et mendicacionem sic se exercitabat, quum propter defectum populi non subfuit sibi opportunitas predicandi.

Cap. XI.

Sed adhuc replicat antichristus excusacionem inueniens in peccatis. Licet enim talis *curatus non resideat* in parochia propria, *prouidet tamen de vicario* suo ydoneo, et ipse in oracionibus et contemplacionibus, quod est opus excellencius et ecclesie utilius, occupatur. Et sic sancta mater ecclesia est regina astans a dextris Christi in vestitu deaurato circumdata varietate.[1]) Decet autem ex ordinacione diuina, quod unum membrum ecclesie circa unum officium et aliud circa aliud officium occupetur. Ex hoc enim claret ecclesie Christi fertilitas et suorum seruorum utilitas, et sic dicitur, quod curatus residet per vicarium, quod equiualet residencie curatorum.

Sed hic dicitur antichristo, quod non licet ipsum sic sophisticare cum domino; non enim licet mentiri veritati prime, quod vicarius talis sit satis ydoneus spiritualiter tantum populum, cum nec sufficit se ipsum regere, nec sufficiunt sibi temporalia propter spoliacionem superioris curati, per quem instrumentaliter exercet officium pastorale. Sed necessitatur ex ista diaboli cautela spoliare subditos pauperes et egenos, et ex occupacione circa istam cautelam officium pastoris dimittere. Numquid credimus istud mendacium esse antichristo vel suis apostolis exemplatum? Si ergo ille curatus intendit contemplacioni et oracioni, dimittat officium atque nomen; non enim superest alia causa, quare sic false portat nomen pastoris, nisi ut sit spiritualis vicarius antichristi. Et communiter necessitat suum vicarium, ut sub ipso remissius portet dampnabiliter illud nomen. Cum autem fidelis dando omnem operam sibi possibilem vix sufficiat, quantum debet, se ipsum regere, quomodo datus curatus et eius vicarius sufficiunt debite et se ipsos et populum gubernare?

Si autem talis secta, siue monachus siue canonicus, cupit contemplatiue viuere et orare, dimittat hoc falsum officium siue nomen, et contempletur ac

1) Alludit loco Psalm. 45, 10. 14 sq.

oret, sicut fecerunt patres in ecclesia primitiua. Quia si vult hec temporalia et cum hoc nomen sanctitatis abscondite possidere, sciat, quod inconstans est in omnibus viis suis[1]). Et utilius esset ecclesie, oracione tali carere, quam ipsam cum istis paribus possidere. Quia oracio talis viri duplicis[2]) fit communiter in peccatum. Si ergo sollicitudo vicarii sufficit ad pastoris officium deleat ipse ab ecclesia dei superfluum et maneat datus vicarius principaliter curatus ouium et citra Christum. Sed corporale emolimentum retardat, quod istud apostema putridum sit in spongiositatibus ecclesie generatum. Contemplacio autem et oracio talis religiosi priuati non sunt sensibiles ad profectum. Sed esset longe Christi ecclesie utilius, quod non essent tales religiosi in ecclesia militante, quoniam sicut superflue gerunt nomen pastoris, sic autem nomen veri christiani, cum sint vitulamina spuria in vite ecclesie non fundata, quia, sicut refertur ex decepcionibus in Anglia, per idem contingeret sutorem et quemcunque peccantem esse curatum nomine et ad temporalia ouium spolianda. Sicut ergo Jesus cepit facere et docere[3]), sic incipiant tales curati facere, cum a fonte pastorum gratis acceperant bona sua singula, et precipiuntur ab eodem fonte eadem gratis dare[4]). Sicut ergo et religiosi priuati sunt una fistula secundum multas partes rauca et putrida, sic eorum oracio vel contemplacio parum aut nichil prodest ecclesie. Et sicut communicant in bonis, sic oportet quod communicent in operacionibus meritorum. Quia in die iudicii talis curatus non excusabitur per fictum vicarium se vel suos. Ideo tale sophisma diaboli fetet[5]) ante oculos redemptoris.

Cap. XII.

Sed adhuc obicit antichristus, quod tales curati habent appropriacionem et confirmacionem suam a *summo pontifice*, quis ergo eos argueret de accepcione fructuum talis ecclesie? Vel ergo oportet negare papam, vel occupacionem talis beneficii et officii[6]) approbare; et si ista racio superius facta moueret, daret euidenciam viatori ad debitum proximi detinendum, cum nescit de creditore suo, si dignus sit apud deum.

Et ad istud sepe dictum est, quod confirmacio romani pontificis non valet nisi de quanto voluntati et ordinacioni dei, qui est summus dominus, est conformis. Nec est fides, cum sepe contingit oppositum, quod, quidquid papa fecerit,[7]) deus, qui est summus sacerdos et dominus, auctorisat, cum tunc

1) cf. Jac. 1, 8.
2) Duplex, id est δίψυχος Jac. 1, 8.
3) cf. Act. App. 1, 1.
4) cf. Matth. 10, 8.
5) fetet] pro: foetet.
6) officii] officio, MS.
7) fecerit] post vocabulum *fecerit* MS. habet: *quod.*

foret inpeccabilis et deus in terris. Et sic si propter cupidinem et autoritatem huiusmodi domini ad quodcunque licenciat, non est plus quam licencia antichristi. Ideo cum non debet sibi credi, nisi de quanto ex fide scripture vel mandato domini se fundauerit, idem est ac si infidelis argueret sic: antichristus sine fundacione ulteriori simulat, quod dat licenciam vel auctorisat hominem ad hoc opus, ergo ad hoc habet *a deo* licenciam. Verum videtur quibusdam, cum Christus et sui apostoli non sic appropriarunt ecclesias et sic contrarium racioni, quod papa ignorans utilitatem ecclesie, quam sic appropriat, inducit habitum antichristi. Et breuiter *nec facto* suo *nec dicto* vel bullis *debent fideles credere istius prelati, nisi de quanto se fundauerit in fide scripture. Et ista fides explanata sufficit cum gracia pontificis animarum ad totam ecclesiam militantem regulandam.* Ideo seducens cautela diaboli est, quod viator debet pape magis attendere, quam racioni domini vel scripture, quod idem est istud asserere, et ipsum extollere supra deum.

Cap. XIII.

Unde quidam fideles, qui audent, habent istam euidenciam ut derisoriam et suspectam. Ideo petunt, ut ostendatur superior euidencia, vel non credunt. Nec contempnunt vel dampnant in hoc romanum pontificem, sed ex fide dominum Jesum Christum tanquam deum omni anteponunt; et docto defectu notorio et facto sensibili dicunt audacter, quod siue papa siue alius istud statuerit, ista statuicio est iniqua. Et in casu quo presumptiue sic continuauerit in errore, bonum esset ecclesie, non fore talem papam, qui ab arcciori sequela Christi et Petri sui vicarii sic declinat. Verum ille homo, scilicet papa, propter periculum debet precipue stare in limitibus legis Christi, ne propter nouitates inductas seducat ecclesiam. Verum quidam nominant ipsum antichristum et patronum primum secte, que sine Christi licencia est introducta. Et sic quoad diuisionem factam[1]) conceditur, quod oportet negare errorem pape et presumpcionem sue dignitatis, quam contra utilitatem ecclesie sic presumit. Nec moueret talis licencia pape fideles ad conferendas suas elemosinas talibus sophisticis vocatis curatis, cum ex facto et defectu pastoralis officii est eis notorium, quod ad illam elemosinam secundum racionem huiusmodi sint indigni.

Et quantum ad racionem de humano debito, antichristus erubesceret de similitudine, quod per idem homo debet detinere debitum ex hoc quod nescit creditorem suum esse *prescitum*, per quod debet subtrahere suam elemosinam ex hoc quod scit de facto, talem curatum esse indignum ad recipiendum tales elemosinas racione officii pastoralis. Nam secundum doctrinam Christi Joh. 10 (38) homines operibus suis debent credere, quare ergo

---

1) Respicit ad capitis XII. initium, ubi dictum est: vel oportet negare papam vel occupationem talis beneficii — approbare.

non operibus vel defectibus huius curatoris[1]). Conceditur tamen, quod creditore supposito peccatore notabili et per solucionem humani debiti dampnificare se et matrem ecclesiam debet debitor vel alius secundum forum consciencie ipsum instruere et a solucione debiti ad tempus cum prudencia declinare.

Cap. XIV.

Restat videre ulterius euidencias, propter quas subditus non debeat iniuste decimas detinere. Et videtur, quod euidencia precipua excedens bullas papales, excommunicaciones et censuras alias est humilis ministracio sacerdotum. Dum enim scitur ex facto, quod sacerdotes fideliter ministrant parochie, et cum hoc scitur, quod egeant, ille subditus foret infideli deterior[2]), qui in hoc casu stipendium sibi debitum detineret, et mouet multum, quod decima est pars domini, de qua in mensura fidelis pastor huiusmodi contentatur. Sunt autem multe raciones, propter quas fideles arguunt, quod pars decima debet ab actiuis singulariter deo dari, ut hii dicunt, quod opera sex dierum sunt ex integro bona dei, angeli eciam celi, licet non exprimantur in Genesi, et res communes[3]) sunt res VII et VIII, et super hec Christi humanitas est res nona, et super ipsam est diuinitas tanquam decima. Et in huius signum omnes homines exprimunt omnem numerum usque primum articulum et singulas eius partes nomine simplici. Et ex post utuntur nomine composito numero articulo et parte eius secundum congruenciam numeri adaptato. Unde arithmetici[4]) diuidunt numerum in tres partes: numerum digittum, numerum articulum, atque compositum. Numerum digittum vocant quemlibet citra decem. Numerum articulum quemcunque, qui potest diuidi in decem partes equales. Et numerum compositum vocant quemcunque alium numerum ex numero digitto et articulo integratum. Alii autem racione alia considerant creaturas. Ut primam dicunt esse elementum et specialiter terram super aquam; propter colleccionem radiorum solarium crescunt terre nascencia, et conformiter in aqua licet in sensibilibus degunt pisces, et de istis duobus elementis sunt secularia dona adaptata. Sed non sic de igne et aëre; de istis autem duobus elementis sunt mixta quedam imperfecta, et sic ad mixta perfecta in secundo gradu siue lapides peruenitur. In genere autem lapidum sunt minere, ex quibus corpora metallica in gradu tercio generantur. Et ex hiis tribus cum cetera[5]) influencia vegetabilia in quarto gradu secundum genus multiplex producuntur; et ex vegetabilibus sensibilia prodeunt quinto

---

1) Et hoc loco et infra, v. c. cap. XVI., nomen *curatoris* pro *curato* identidem usurpatur.
2) cf. 1. Timoth. 5, 8.
3) res communes] i. e. Universalia sive Jdeae.
4) arithmetici] arismetrici, MS.
5) Difficilioris scripturae locus

gradu; et post illa prodeunt homines sexto gradu. Nec dubium, quin semen hominis ex vegetabilibus et sensibilibus est productum. Septimo gradu sunt spiritus humani, quos necesse est a datore formarum organis hominis copulari, postmodum autem post mortem huius[1]) spiritus possunt per se esse. Octauo gradu sunt spiritus angelici, quos necesse est per se esse[2]) a principio in eternum. Et in quo gradu Christi humanitas est, que secundum corpus participat omnia ista septem, cum tanquam corpus neutris[3]) ut cetera, quod vocatur ab aliquibus elementum, residet beatum in celestibus eternum. Et ipsa persona excedit omnes alios creatos spiritus, tam animam humanam quam angelos. Licet autem ista humanitas non fuit in mundi exordio in effectu, oportet tamen ipsam esse perpetuo in . . . . . .[4]) Et post ista nouem necesse est diuinitatem procedere tanquam primum et nouissimum. Nullus ergo negaret deo partem decimam, nisi qui negaret suum uniuersale dominium et has nouem fabricas secundum suam sapienciam procedentes. Tales sunt raciones multe; sed sufficiat fidelibus ex fide scripture elicere, quod deus partem decimam aptauit sibi.

Cap. XV.

Consequenter restat videre, cui parti ecclesie sunt decime regulariter tribuende. Et videtur ex fide scripture, quod in mundi principio propinque statui innocencie decime sunt combuste, ut patet *Genesis* 4 (3. sqq.). Sicut enim in statu innocencie non fuerunt persone nec fuissent que sic decimis eguissent, sic in prima ecclesie etate. Ideo in signum sortis domini, ad testificandum suum universale dominium, mittebantur decime versus celestia in corporalibus sic fumosis. Postmodum autem tempore Moysi, quum sacerdotes et leuite fuerant in lege domini figuraliter limitati in signum quod debuerant esse similiores et propinquiores domino, habuerunt a deo decimas eis datas. Et ista lex durauit usque ad aduentum domini incarnati. Sed tercio tempore gracie ad docendum, quod decime sunt cerimoniales in parte et aliquantulum cadentes sub precepto domini, non lego in lege gracie, quod Christus vel sui apostoli decimas singulariter clericis pro isto tempore limitarunt. Sed necesse est secundum legem domini, quod habeant perfecte necessaria pro suo officio limitata. Et quia visum est sapientibus, quod tercia pars ecclesie, que sub-

---

1) huius] scilicet hominis i. e. corporis.

2) Esse] deest in MS.

3) Neutris . . . . elementum] verba haec aliquo modo corrupta esse videntur, neque, si omnia delerentur, aliquid desideraretur.

4) In Codice scriptum est: *in minera*, quod errore scribae factum esse haud dubito, nexus enim sententiarum postulat, ut exponatur, Christi humanitatem, etiamsi non fuerit omni tempore *in effectu*, tamen esse perpetuo in dei idea, cogitatione, consilio; fortassis scribendum erat: in memoria.

ministraret presbiteris, facilius posset seruire illis decimis, ideo sunt illis oblaciones et decime limitate. Non tamen video quin cuncti clerici debent [1]) secundum regulam apostoli de alimentis et tegumentis, quomodocunque iuste venerint, contentari, et decime debent prudenter pauperibus impertiri. Et secundum istam racionem licet curatis pauperem Christum sequentibus accipere de decimis moderate. Tractum autem est in consuetudinem, quod non laudo, sed secundum maliciam crescentem ex ea reprobo, quod curati ex integro habeant oblaciones et decimas, ut laici sint plus et clarius a remorsu consciencie excusati. Curati autem debent viuere de decimis et oblacionibus regulam apostoli obseruantes. Et in casu quo de ipsis pars notanda superfuerit, debent ipsam Christi pauperibus et in aliis officiis prudenter, voluntati domini conformiter, elargiri. Et super ista ordinacione humana creuerunt leges multiplices, quarum alique sunt mendose; ut quidam statuunt, quod prouentus curati in quatuor debent diuidi, primo debent clerici moderate capere pro se ipsis, secundo debent partem aliam prudenter distribuere extrinsecis pauperibus et egenis; terciam partem dabunt ad confeccionem basilice, et quartam ad reparacionem et sustentacionem congruam domus sue. Et in ista lege humana latent versucie plurime serpentine. Sunt autem difficultates alie infinite, ut de quibus rebus debent dari decime, si de bosto[2]) vel aliis terre nascentibus, si de piscibus et feris, si de stipendiis laborancium eciam per turpe lucrum ut per meretricium vel usuram vel aliam sortem illicitam conquisitis; tales sunt multe difficultates fabulose circa tradiciones humanas, circa quas foret clericum turpe occupari. Habeat ergo curatus necessaria alimenta et tegumenta pro suo officio et dimittat istas tradiciones friuolas et nociuas. Non est autem fidelem facile exprimere peccata symoniaca et contenciosa et dimissionem pastoralis officii, que ex ista declinacione a vita apostolica ad leges humanas, plus notatas quam ewangelium, sunt exorta. Ideo medicina theorica est curatum ministerio legis dei attendere et tradiciones has friuolas non curare, quia certum videtur, quod antichristus posset ad tantum accendi libidine, quod spoliet bona singula subditorum, ac si sic argueret secundum sophisticacionem diaboli: "decime debentur mihi ex integro, ut ex fide colligitur; sed omnia bona et singula, que subiectus possidet, sunt decime, quia respectu nouem parcium aliquarum; ergo debeo capere ex integro cuncta sua". Racionalis autem terminus et metricabilis [3]) est ille, quem deus dat in suo apostolo 1. Tim. 6 (8). Ideo ille debet ut fides, dimissis hiis friuolis obseruari.

---

1) Debent] dent MS., omissa linea, qua sola librarius vocabulum *debent* a verbo *dent* discernere solet.

2) bosto] i. e. arbusto.

3) Metricabilis] i. e. iustam rerum mensuram et congruum temperamentum constituens, cf. vocabulum q. v. substantivum *metricatio* II, c. 10. infra.

Cap. XVI.

Superest discutere per radices peccati, quod ex ista lege et subtilitate diaboli inoleuit. . Quidam autem curati pascunt seipsos ex superhabundancia temporalium nimis laute et sunt inhabiles ad ewangelisandum, deum pro subditis exorandum; et cum tanquam propinquum fidei debet capi, quod tales curati sunt ad officium pastorale pre ceteris officiariis obligati, debent enim se recognoscere pauperes esse et egenos et deminutis donariis viduarum et pauperum subditorum habere suos prouentus ad quotquot se extenderint egene collecciones, et specialiter pro omnibus illis et singulis singulariter in die iudicii responsuros: ubi ergo est arccior condicio miserie paupertatis? Ideo signum luciferine superbie est, quod prelatus superbiat de pinguedine sui beneficii, quod tamen sufficit expendere annuatim. Debent autem consideracionem istam tam intellectu quam affectu dimittere et totam solicitudinem colligere ad fideliter ministrandum ecclesie.

Secunda racio reprimens dictam superbiam foret recognoscere attente, quod deus signanter tribuit sibi partem suam. Ideo cum sit ballinus tanti domini, debet cogitare specialius, quod sufficiat sibi dare fidelem compotum de parte deo tam propria, quomodo fideliter assumpsit illam partem. Et istud foret frenum rectoribus, ne lasciuiant in esculentis vel quibuscunque concernentibus personam propriam deminutis elemosinis subditorum, ut est de lecsterniis dorsariis, aulicis bancariis, puluinaribus et sumptuosis domorum ceteris ornamentis. Et idem iudicium de vestibus ac surrearum splendencia. Istud autem est verbum sectis quatuor adaptandum, ut episcopis, monachis, canonicis, ac fratribus, quod omnes iste in esculentis, ornamentis expendunt prodigaliter, contra vitam Christi et regulam, elemosinas pauperum subditorum. Et in istis talis pauper prelatus erubesceret, si non fuerit supercilio diabolico excecatus.

Tercia racio, que moueret conscienciam pastorum huiusmodi, stat in isto, quod episcopus *animarum* ipsum curatum constituit, non custodem stercorum ad taliter lasciuiendum in corpore suo, sed custodem animarum, que ad dei ymaginem et similitudinem erant facte. Ideo debet animas in pastu virtutum spiritualiter impinguare; et sequetur pastorem summum in moribus, qui ad pastum spiritus et non ad pastum corporis attendit, nisi gracia huius finis. Cum autem lex dei sit irreprehensibilis et utrobique consona racioni, non negato curato sed explicat [1]) sibi capere de alimentis et tegumentis, qua racione duce est sibi necessarium ad officium pastorale. Et si in isto statu forte deuenerit egenus, ut cecus vel claudus vel infirmitate alia corporea pregrauatus, debet secundum regulam apostolicam prouisor de necessariis anime suis subditis de suis elemosinis susten-

1) Non — explicat] Nisi forte corruptus fuerit locus, hic tantum sensus subesse potest, legem dei explicare, quod non pseudocurato sed genuino et fideli pastori liceat capere sibi quantum, ut officio fungatur, necessarium sit.

tari. Et dico „secundum regulam apostolicam", quod non oportet ipsum pro fortificacione corporis tantum expendere, sed parcere de se ipso, ut alii sacerdoti tribuant in pastorali officio laboranti. Istud autem est generale peccatum huiusmodi apostatis, quod non dant[1]) exemplum in sua vita ouibus suis, ut ewangelice conuersentur, sed pocius exemplificant vitam diaboli, que ducit ad tartara ut sequantur vestigia antichristi; non enim exemplatur a Christo, quod pastor sic pascat corpus proprium, sed castiget pocius ad carnem inimicum anime castigandum.

Cap. XVII.

Restat ulterius videre transgrediendo, quomodo curatus debet *pugnam contra tres hostes anime* suis subditis exemplare. Et primo de *luxuria,* cum multi vocati curati non contentantur de parochiali ecclesia, nisi annexam habeant capellam, vel commorantem cum eis tanquam uxorem propriam vel sumptuose viuentem seorsum, prope tamen de bonis parochie sustentatam. Cum autem viuant extra matrimonium in manifesto adulterio, patet, quam detestandum est hoc peccatum tam subditis quam curatis. Subditi enim non deberent audire missam talium sacerdotum et per consequens nec in aliis officiis pastoralibus participare sui criminis, cum oracio et quicquid fecerit, sit in peccatum notorium apud deum, et per consequens non debent dare sibi oblaciones vel decimas, ne videantur consencientes crimini sic notorio in curatis. Et istud ostenditur non solum debere se extendere ad peccatum luxurie, sed ad *ommissiones et commissiones alias,* quibus pastorale officium sensibiliter est subiectum, ut stante curato in curiis dominorum vel extrauagantibus lasciuiis. Qua posset fronte ad se et ad suam amasiam rapere decimas pauperum subditorum? Ille autem non foret curator, sed antichristi raptor, qui non erubesceret, multas oues suas perire pro fame, et cum hoc sustineret suam amasiam in sumptuosis pelliciis incedere et nodulis argenteis vel aureatis: ubi queso foret consciencia talis pastoris sed verius raptoris, qui non timeret[2]) rapere decimas pauperum parochianorum ad cum tali meretrice in luxuria volutandum, et cum hoc constituere se dignum ad quodcunque pastorale officium pro salute anime sue proprie vel sui subditi exercendum. Reuera talis videtur esse non solum lupus rapax, sed ouium suarum simplicium tam quoad salutem corporis quam anime strangulator. Et idem videtur iudicium de curatis stantibus in *Romana curia* pro beneficiis aliis vel priuilegiis ad pauperum subditorum elemosinis impetrandum, vel stantibus *Londoniis* vel locis aliis voluptuosis ex eisdem sumptibus extra suam parochiam, quomodocunque staciones tales antichristi fuerint palliate. Et ve illis, qui curatos in tali statu extraordinario protegunt vel quacunque antichristiana

1) dant] dat, MS.
2) timeret] timent, MS.

cautela consenciunt, vel quacunque simulacione diaboli auctorisant. Nec videtur, quomodo licet pastori sane stare extra suam parochiam, nisi sana consciencia ostensum fuerit, quod plus sic prodesset ecclesie, quam in sua parochia residendo: ut supposito, quod curatus sit doctrine simplicis in docendo suos subditos legem Christi, potest ad tempus stare in scolis vel alibi ad spirituale pabulum suis ouibus colligendum, sic tamen, quod tempore accepto distribuat eis fideliter pabulum sic collectum. Et sic omnino detestandi sunt curatores stantes in studiis humanis, legibus, ut ciuilibus siue papalibus. attendentes, arti medecine corporis vel doctrine *Aristotelis*, licet ex talibus bonum aliquantum poterit prouenire. In omnibus autem talibus licet parochianis elemosinas suas prudenter subtrahere, ne videantur discoliam talis pastoris vel vocati [1]) defendere ac fouere. Et parochiani sese debent iuuare reciproce abscondite vel aperte cum talibus decimis ut debitis a talibus pseudopastoribus vendicatis. Elemosina quidem magna est excludere talem diabolicam discoliam. In omnibus tamen talibus necesse est, quod parochiani serpentina prudencia regulentur.

Cap. XVIII.

Superest videre, quomodo rectores quidam ex voluntate carnis et ex voluntate viri et non ex deo nati sunt [2]), quos Christus non dedit filios dei fieri. sed filios regis superbie, qui ex eadem superbia, contempta lege domini *ditant de bonis pauperum propriam parentelam.* Et una causa est, ut videantur nobiles vel mundo incliti. Sic enim multe persone a gradu valde abiecto ad mundanam celsitudinem eleuantur. Et ista sophisticacio coloratur subtiliori cautela diaboli dicendo, quod ad hoc mouet misericordia et affeccio naturalis; quis enim non naturaliter inclinatur plus diligere parentes proprios et cognatos, quam alios extraneos fratres in domino? Et hoc mouet multos symoniace perquirere multas ecclesiasticas dignitates. Sed fides domini nostri Jesu Christi excluderet hanc cecam superbiam. Quamuis autem Christus sit homo nobilis, dignabatur tamen procedere ex humili et paupere parentela. Quis rogo unquam abieccior [3]), quam fuerunt filii Israel quadringentis annis et amplius in Egipto, ut patet *Gen.* 9 (25) et *Exod.* per processum? In tantum, quod videtur quibusdam probabiliter, tam Christus quam Dauid pater suus fuerunt ex seruis abiectissimis procreati; et tamen Christus fuit homo nobilissimus, et Dauid eciam nobilis in moribus, quod preponderatur sollide quoad mundum. Quis rogo rex fuit in lege veteri Dauid nobilior, licet fuerit in iuventute pastor ouium, et in parentibus Egypti abiectus seruus, ut elicitur ex scriptura. Talis autem condicio est accidentalis generi valde, eueniens

---

1) Vocati] post hanc vocem vocabulum *curati* excidisse videtur.
2) cf. Joh. 1, 12 sq.
3) Abieccior] abieccio, MS.

et recedens. Ideo ista superbia non est ex nobilitate generis nec est a racione nec est a domino exacta. Sed pocius vita Christi cum racione docuit, que essencialiter est prima veritas, nobilitatem istam contempnere. Ideo non solum qui dimittit legem Christi vel qui contra regulam Christi est nimis in mundanis sollicitus,[1] .... ac graciam huius finis dimittit utilius, peccat grauiter nobilitatem huiusmodi affectando. Similiter ex ewangelio Matth. 10 (37): Qui amat patrem aut matrem, et euidencius posteriorem parentelam, plus quam Christum, non est ipso dignus. Cum ergo tales preponderantes parentelam huiusmodi postponunt in amore Christum sua parentela carnali, ideo videtur multis, quod quilibet christianus debet plus diligi sub racione qua propinquus vel frater carnalis, cum spiritualis cognacio longe prestancior et propinquior non possit esse, quam christianum habere immediate Christum patrem et sponsam suam ecclesiam eius matrem. Ideo non mediocriter peccat, qui per media illicita istud preponderat minus bonum. Cum autem debemus sub graui pena singuli sequi Christum, Christus autem summus pontifex atque omnipotens non sic ditauit matrem suam carnalem vel cognatos proprios, sed ordinauit eos in notabili pauperie perdurare, videtur quod facere oppositum per media iam currencia sit manifesta condicio antichristi. Si tibi iuxta dicta omnia, que curatus sic possidet, sunt elemosine et bona pauperum subditorum, ergo non licet curato sic spoliare parochianos proprios et ditare carnaliter ex tam nephandis spoliis propriam parentelam. Ideo quantumcunque talis ceca dotacio pullulat quoad mundum, officit spiritualiter quoad deum. Ideo lex amoris lege domini regulata moueret tales curatos non sic diligere propriam parentelam, specialiter cum multi sunt alii christiani, eciam quod contingit de propria parochia, tali elemosina magis digni. Ideo cum secundum regulam apostoli debemus de alimentis et tegumentis in tali officio contentari, videtur quod sic iniuste spoliare pauperes, quibus ista bona sunt debita, non sit officium Christi vicarii, sed pocius antichristi; faciat igitur curatus officium ad quod venit, et dimittat talia indigna spolia, ne per se ipsum et diabolum, cuius sic stulte fingitur vicaria, propemodo condempnetur. — Et quantum ad misericordiam et naturalem affeccionem, patet quod moueret fidelem ad oppositum faciendum. Homo enim debet prius ex caritate misereri anime proprie placens deo. Qualis ergo misericordia vel caritas foret, hominem se ipsum dampnificare quoad animam et carnem propriam, tamen contempnere quod inferat sibi nocumentum multiplex ex consensu. Debet ergo homo esse racionale pecus domini ductum chamo[2] et freno racionabilis legis sue. Quid ergo, si voluntas vel irracionalis affeccio inclinat ad peccatum huiusmodi perpetrandum, debet animus hominis propterea succumbere peccato atque diabolo et contempnere dominum Jesum Christum?

---

1) Sollicitus] post hanc vocem pars adversativa q. d. sententiae excidisse videtur.
2) i. c. hamo, cf. Ps. 32, 9.

Cap. XIX.

Restat ulterius videre, quomodo tales prelati mundi splendencia et auaricia sunt infecti. Quidam enim presumunt de bonis pauperum pascere viros plus reprobos, sic tamen quod sunt mundo diuites vel hiistriones, qui proclament in populo, curatores illos fore viros dapiferos atque largos. Nec dubium ex ewangelio Luc. 14 (12), quin ista sit dampnabilis condicio antichristi. Et eodem modo dicitur de sumptuosa et superflua familia de bonis pauperum sustentata, et eodem modo de sumptuosis et superfluis ornamentis, cuiusmodi sunt parapsides [1]) argentei et alii innumerabiles apparatus; et idem est iudicium de superfluis edificiis sumptuosis. Et ad tantum prorupit rex superbie in expensas superfluas, quod quinto mouet presbiteros tenere canes venaticos, equos pinques, superfluos [2]) ornatus talium de bonis pauperum sumptuosos. Nec dubium quin talia notata in isto quaternario [3]) non proficiunt officio pastorali, sed sunt quinque ligamenta stimulancia ad superbiam, quibus diabolus ducit suum vicarium cecatum spiritum aliter ad Gehennam. Et ad tantum percuciuntur cecitate hii serui diaboli, quod dant pro responsione completa, quod honor seculi hec requirit. Sed cum diabolus sit infinitum melior quam honor seculi, maior color est et verior responsio foret, quod *diabolus* hec requirit. Ille igitur nimis vecorditer fatetur, se a diabolo esse victum, quod tam exile instrumentum diaboli allegat pro suo crimine, quia *mundus*, qui est hostis suus, secundum racionem qua diabolus mundo abutitur, hec requirit. Qui igitur consentit tam exili racioni diaboli contra Christum, faciliter consentiret forciori: si hostis hominis ista inutilia sic requirit, ideo ille homo debet dare operam ad implendum quod expetit talis hostis. Multi enim labore dampnabili, qui est nimius, sattagunt placere diabolo propter mercedem nimis superfluam, scilicet honorem mundanum momentaneum; sed oportet mercedem aliam consequi, scilicet dampnacionem perpetuam in inferno. Istam autem mercedem dat prima iusticia et facit ad grauamen pene [4]) diabolum ministrare. Licet autem ista quinque sint dampnabilia in rectore [5]) simplici, sunt tamen magis dampnabilia in episcopo vel abbate, non solum quia superant rectores simplices in hiis quinque, verum quia ex maiori obligacione atque yppocrisi faciunt ista patencius quoad mundum, et ad grauandum crimen habent gaudium de istis peccatis, ac si forent in seruicio diaboli confirmati. Tales autem sumptuose consumpciones bonorum pauperum clamant suam iniuriam quoad deum. Et oportet ex dei iusticia, quod iste iniurie finem habeant, quem finem debent exequi domini

1) parapsides] alias paropsides, sive patinae, cf. Matth. 23, 26 secundum versionem vulgatam.

2) superfluos] superflues, MS.

3) quaternario] i. e. opusculo.

4) pene] i. e. poenae.

5) rectore] racione, MS.

temporales. Nec refert, quod curati tales habent simul multa beneficia in usum alium transmutata, nisi quod generant peccatum multiplici racione. Si enim abbas vel episcopus habet multas elemosinas vocatas perpetuas, quas papa dicit se in naturam aliam transmutare et dare licenciam uni persone ad talibus abutendum, ubi multi sufficerent seruire deo secundum legem suam conformius quam faciunt omnes isti: tales excusaciones yppocrite grauant culpam. Non tamen video, quin eadem simplex persona posset licite habere multa beneficia moderata, sic tamen quod remaneat fidelis seruus domini, correspondenter ad beneficia sua seruiens et dicta peccata precavens, cum deus, cui seruit fidelis, sit dominus uniuersorum. Et illo modo dicit Paulus 2. Cor. 11 (8 sq.): "Alias quippe ecclesias exspoliaui accipiens stipendium ad ministerium vestrum? Et cum essem aput vos et egerem, nulli onerosus fui; nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres qui venerunt a Macedonia, et in omnibus me vobis sine onere seruaui et seruabo." Ex quo textu quidam eliciunt, quod quecunque elemosina quantumcunque parua a fidelibus gratis data potest vocari beneficium, quia tota ecclesia, quantumcunque loco distiterit, debet ministrare in dei laboricio seruo suo. Sed oportet *secundo* notare, quod ille qui seruiat deo et domino suo fideliter, et sic non oneret populum, a quo accipiat talia stipendia, que Paulus vocat „spolia". Verum luciferina videtur cupiditas, quod curatus, cui sufficiunt data alia a mercenariis pauperibus, ante exigat stipendium per censuras. Et patet *tercio*, quod Paulus aufugit nec debuit esse alicui populo onerosus. Ille autem onerosus est populo, qui exigit vel capit ab eo stipendia et non sibi tribuit magis bonum. Fratres autem late disseminati per prouincias sunt toti prouincie onerosi, quia quantum expediuit de bonis, tantum[1]) seminant fabulas atque mendacia, et ut non intrant per hostium[2]), sic secundum legem dei non faciunt recompensam. Et breuiter totus defectus sacerdotum stat in isto infami binario, quod sunt acuti ad extorquendum corporales elemosinas et remissi ad retribuendum spirituales recompensas, et sic sunt mundo dediti tanquam speciales filii antichristi.

Explicit de officio pastorali pars prima.
Incipit secunda pars.

---

1) tantum] tum, MS.
2) i. c. ostium, cf. Joh. 10, 14.

PARS SECUNDA.

Cap. I.

Tacto superficialiter de prima parte sacerdotalis officii, que pertinet curato, que scilicet est vite sanctitas, restat videre de secunda parte pertinencie pastoris, que scilicet est *doctrine salubritas*. Cum enim Jesus Christus "cepit facere et docere", curatus, qui debet esse eius vicarius, debet splendere sanctitate quoad personam propriam, et secundo debet lucere doctrine rectitudine quoad oues; aliter enim predicacio sua foret inutilis, cum Psalmo 49[1]) scribitur: "Dicit peccatori deus, quare tu enarras iusticias meas et assumis testimonium meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum!" Prima igitur condicio pastoris est mundare fistulam propriam, ne inficiat verbum dei Et quoad secundam condicionem, que est valde multiplex, restat primo videre, que sit prima et precipua operacio pastoris. Et dicitur primo, quod pastor habet *triplex officium: primo* verbo dei *pascere* spiritualiter oues suas, ac si per pascua semper virencia ad beatitudinem patrie initiarentur. *Secundum* officium pastorale est *purgare* prudenter oues suas a scabie, ne sese et alias magis inficiant. Et *tercium* est, pastorem *defendere* oues suas a lupis rapacibus tam sensibilibus quam insensibilibus. Et utrobique precipuum officium pastoris videtur seminare suis ouibus verbum dei. Propter congruam causam ordinat deus, quod doctrina pastoris in vita propria foret efficax predicacio suis ouibus, cum illa mouet efficacius, quam nuda predicacio per sermonem. Quod declarat *Anshelmus* ista similitudine: Egrotus querens diligenter a medico, que herba est contra talem morbum salubrior, medicus autem notus laborare eodem morbo commendat verbaliter datam herbam, sed dimittens illam in ore capere, assumit auide aliam herbam comedendo. Numquid credimus infirmum plus moueri opere istius medici quam sermone? Statim quidem concludens, ipsum egere virtute talis herbe, ut ipsemet egrotus eguit, assenciens quia non immemor salutis proprie credit plus suo operi, quam sermoni. Verum istam fallaciam

1) Ps. 50, 16.

docet Christus a Phariseis cauere: "dicunt enim et non faciunt", Matth. 23 (3). Et hec causa, quare Lucas preponit [1]), quod prima veritas, que est sine duplicitate peccati, "cepit facere et docere." Ideo vita boni pastoris est necessarium speculum suis ouibus imitandum. Nam summus pastor non potuit declinare a rectitudine in opere vel sermone, ideo sua vita cum moribus est tanquam vitalis spiritus attendenda singulis christianis et specialiter pastoribus, qui dicunt se esse Christi vicarios. Et in huius signum, quod vita et opera debent sermonem precedere in pastore, vite iusticia est necessaria in quolibet saluandorum, sed verborum vel predicacionis loquacitas est specialiter necessaria in curatis. *Nemo* enim vel infans vel decrepitus *potest saluari, nisi vita eius secundum Christi iusticiam iusta per eius graciam sit reperta.* Verum antichristus vel phariseus a Christo magis degenerat in hoc, quod sermonem suum preponderat, et opus vel vitam suam multiplicat falsitate, Christus enim facit utrobique oppositum. In hoc ergo pastor debet notari ydoneus, quod tam in illo sit vite sanctitas, quam viuacium verborum loquacitas, cum pastoris mutitas eciam est ouibus abhorrenda. Verum secundum *Gregorium* vita pastoris tantum debet excellere vitam suarum ouium, quantum homines pascentes excedunt vitam suarum [2]) pecudum. Ista tamen verba sane oportet intelligi, cum sepe oues spirituales subiecte pastoribus tam in sanctitate quam et in sciencia superant suos curatos: sed tunc videtur, quod vel curati desidia vel mala eleccio est in culpa. Pastor igitur notabiliter debet excedere oues suas vel in sciencia vel in sanctitate vel in constancia perseuerancie vel sancti propositi firmitate. Et iste videtur sensus *Gregorii,* quia aliter videtur, quod humana statuicio preponit quem deus postponit, et in causa valde notabili est e conuerso.

Cap. II.

Hoc autem videtur fideliter colligendum, quod *inter omnia pastoris officia post vite iusticiam est sancta predicacio plus laudanda,* nam Christus, prima veritas, preponit eam Luc. 11 (28), cum dicit mulieri commendanti eius portacionem in utero atque nutricionem sui corporis: "Quin ymo beati, qui audiunt verbum dei et custodiunt illud!" Nec dubium, quin verbi dei predicacio sit tanta sicut audicio. In Christo autem fuerunt hec tria: summa scilicet verbi predicacio, eius audicio, et conseruacio in effectum. In aliis tamen predicacio commendabilior, quam audicio, sicut accio prestancior est passione. Similiter Christus summe sapiens mandavit suis apostolis, quum celum ascendit, predicare ewangelium omni creature, ut patet Matth. ultimo

1) Act. App. 1, 1.
2) suarum] suorum, MS.

(28, 19), quod non faceret magister summe sapiens, nisi talis predicacio fuerit magis laudanda in apostolo vel curato; ideo inter cetera eius officia talis operacio est magis digna. Similiter ex effectu euidet; ewangelisacio est opus precipuum curatoris, nam plus proficit [1]) Christus in suis apostolis ewangelisando gentibus, quam faciendo quecunque miracula. que in persona propria fecerat in Judea. Verum *Augustinus* recolit, quod fuit maius Christi miraculum predicacio tanto [2]) mundo gentilium et conuertendo ad fidem Christi in tempore tam modico tantum populum personarum tam simplicium, quam alia miracula, que Christus post incarnacionem fecerat. Et certum videtur, quod istud miraculum Christi ecclesie sensibiliter proficit, nec est illud miraculum appropriatum apostolis, sed domino Jesu Christo. Quia, licet Christus dicit Joh. 14 (12): "maiora horum facietis", tamen Paulus confitetur humiliter, quod *Christus* in ipso loquitur; ideo non ista organa, sed persona Christi precipue est laudanda. Cum igitur Christus per predicacionem talem gignit sibi filios adoptiuos, quod est maius opus, quam generacio naturalis, patet, quod in illo opere relucet dei potestas plus quam in aliis nominandis, per hoc enim Christus facit sibi heredes patrie, scilicet, quod est maius miraculum, hic in terris. Nec dubium vel theologo simplici, quin ewangelisacio excellit quodammodo infinite omne opus alchimicum, cum plus sit, se ipsum eruginare [3]) spiritum hominis ad imaginem dei factum, quam purgare quodcunque opus metallicum, vel facere opus artificiale humanum, quantumcunque subtile fuerit et in reputacione hominum preciosum. Nec dubium, quin deus tam in uno opere quam in altero principaliter facit opus, et quodcunque factum laudabile deus communicauerit homini, hoc facit ex sua gracia maiori vel minori, et ipse seruat sibi quoddam priuilegium in quacunque operacione huiusmodi adimplenda. Et per idem ewangelisacio excedit oracionem, sacramentorum ministracionem quodammodo infinite. Istud est enim loycale opus [4]), per quod plus in signis iudaicis communiter est deceptus et quecunque oracio viatoris non proderit nisi sibi [5]) . . . . de quanto deus acceperit meritum sic orantis. Sed ewangelisacio prodest longe extensius et euidencius, ideo est operacio plus ecclesie preciosa. Sicut ergo iudices regum dicentes populo illorum sentenciam prope honorem regum precipue notati, sic ewangelisantes veri sunt ex auctoritate dominica notandi.

---

1) Sic Codex ms, sed est quod conjiciamus, auctorem ipsum scripsisse *profecit*.
2) tanto] tanti, MS.
3) i. e. ab aerugine purgare
4) i. e. laicorum opus.
5) Post vocabulum *sibi* in Cod. scriptum apparet: *ignite*, quae vox vitiose exarata esse videtur.

Cap. III.

Restat ulterius christianis attendere, quomodo *diabolus* precipue inuidens istis ewangelisacionibus *sophisticat* per sacerdotes Bellial *salubriter populo predicantes.* Nec est nunc recens ista cautela diaboli, cum in diebus apostoli ex displicencia inuidia per hoc populum seducebat. Possunt autem omnes culpe in isto officio reduci ad *ternarium punctorum. Quidam* enim diabolice *exaltant famam propriam* in adulterinis verbis que vocantur subtilitates, quibus diabolice se extollunt. Et istud potest reduci ad apostoli 2 Cor.[1]) 2 (17): "Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum dei, sed ex sinceritate sicut ex deo in Christo loquimur." Isti autem sunt adulteri verbi dei, qui cum peplis meretriciis et coloribus ricinitis verbum dei populo difficultant. Sed habentes conscienciam suam sinceram excludunt omnem pompam diaboli vel honorem proprium, ut sicut materia, de qua loquuntur, est deus, sic loquuntur in sua presencia, cum omnes cogitaciones nostre sint nude cognite aput ipsum. Et in omnibus istis debemus loqui exemplariter "in Christo", quia ipse autonomice est dux verbi. Quis ergo non timeret loqui in dei presencia verbum, quod suis auribus non placeret? Et istud verbum apostoli instrueret plane fidelem ad verbum domini populo promulgandum. *Secundo quidam sophisticant* in verbis domini *propter peccata carnalia nutrienda.* Et in istis coloribus diabolus nedum de uno crimine contentatur sed intricat in multa secundum formam qua temptavit dominum Jesum Christum. Et ad istud potest adduci illud apostoli Gallat. ultimo (6, 12): "Volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur: michi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Jesu Christi, per quem michi mundus crucificus est et ego mundo." Ubi fideles non dubitant, quin debeat principaliter gloriari in deo, in humanitate Christi et ceteris, que ad beatitudinem consequuntur. Sed *absit fidelem* et specialiter viatorem *gloriari, si non glorietur in passione domini nostri Jesu Christi,* per hoc enim quod tres hostes anime mediate Christi gracia conuincuntur. Ideo necesse est habere viantem tiriacam[2]) istam decretam sepius ad hostes anime superandos. Debet ergo ewangelisator predicare plane ewangelicam veritatem, licet carni auditorum displiceat, quia spiritus hominis specialiter est amandus. Et in ista predicacione adulterina multus populus est seductus et specialiter in hoc quod iniunguntur penitencie, que non prosunt anime, sed que sapiunt vel fastum confessionis vel cupidinem terrenorum. *Tercio quidam illudunt populo* predicando sibi propter auariciam, sue et secte *bona pauperum colligendo.* Et in isto peccato infidelitatis lapsi sunt plurimi predicantes blasfeme valenciam precum suorum, sue fraternitatis et spiritualis suffragii. Et per istud indulgencie racione curie sub obtentu participii pecunie a sectis pluri-

---

1) 2. Corinth.] 2. Apostoli, MS.
2) cf. I. c. 8 sub finem, p. 16 not. 2.

mis extolluntur. Tiriaca autem contra istam cautelam diaboli foret, istis sectis ac partibus in nullo credere, nisi docuerint fidem Christi. Infidelis quidem dogmatisatur per antichristum et suos complices ad populum in temporalibus seducendum. Et ista rapax infidelitas est peior quam rapina publica, tam quoad animam quam quoad corpus. Et istud necessitat ad mendacia ad fabulas et ad alia dicta apocrifa et quidquid tales pseudo populo placere perceperint predicandum. Et utinam fidelis populus foret instructus, quod tali pseudo nil tribueret, antequam suam sentenciam verbis domini confirmaret! Fidem autem et caritatem debet predicator populo predicare, et de particulari certitudine sperandi, cum singulariter sit deo cognitum, subticere.

Cap. IV.

Quum fallacia predicancium seducit multum populum, de ista materia ulterius aliquid est dicendum. *Surrexerunt* [1]) autem *episcopi*, fratres et persone alie, *quod sacerdotes fideles* sic *predicant verbum dei.* Verum fratres et alii diffamant, quos estimant in populo defendere hunc sermonem. Sed cum ex fide capitur, quod iste sermo sit efficacissimus, sicut credimus Christum deum et hominem, tales plante diaboli non audent istud publice deprauare sed private. Verum quidam estimant, quod ista triplex temptacio sacerdotum, qua sic impediuntur predicare ewangelice verbum dei, processit ex nouiter machinata summa cautela diaboli. Diabolus autem temptando Christum non audebat sic fidem scripture contempnere, sed ipsam scripturam contra Christum licet sophistice allegauit; ideo erubescit in persona propria ex sua naturali sciencia sic verbum domini reprobare, sed hoc ministris suis magis stolidis dereliquit. Dicunt enim quidam, qui statum modernum sapiunt, quod hec *triplex racio*, quare quedam membra diaboli contempnunt, quod fideles sic predicent verba dei. Nam pseudo prelati habent ex fide, quod tenentur sub pena dampnacionis perpetue in moribus sequi Christum. Cum ergo ewangelium maxime docet conversacionem Christi penalem, hii timent antichristi disciouli, quod eorum retrocessio vel obuiacio legi domini cognoscatur. Et hec racio, quare nolunt ewangelium predicari ex integro, sed curte, ut faciunt fratres, ne Christi conversacio cognoscatur. Et cum omnes saluandi necessitati sunt sequi dominum Jesum Christum, patet quomodo ista cautela antichristi seducit plurimos in infernum. Nam sepe significat fides ewangelii, ut patet Matth. 10 (37 sqq.) et Luc. 14 (26), quomodo non potest esse Christi discipulus, nisi ipsum plus diligat, quam aliud citra ipsum. Et certum est ex fide, quod nemo potest venire ad patriam, nisi fuerit Christi discipulus, et quod est idem ac amplius, membrum suum.

---

1) Scil. invidia concitati, cf. Act. App. 5, 17: "Exsurgens autem princeps sacerdotum — — repleti sunt zelo et injecerunt manus in apostolos."

Fratres autem deprauant et oderunt istum modum ewangelisandi, cum timent sibi, quod in toto ewangelio non fundabunt, quod lucrum temporalium huiusmodi per ewangelisacionem reportabunt: Christus enim docet Matth. 10 (8): "Gratis accepistis, gratis date." Ideo certum est, quod talis fratrum predicacio in spem temporalis commodi est deo notoria Symonia. Ideo antichristus timet sibi, quod talia ludicra mendacia et hereses de spirituali suffragio, que sunt a fratribus publicata, erunt in populo declarata et non tantam predam habebit de ecclesia sicut solet.

Tercio autem alii filii diaboli impediunt hunc modum ewangelicum predicandi, quia vellent verba sua fabulosa in populo ponderari et suam famam propter superbiam in populo exaltari. Verum sunt mille cautele, quibus hee tres partes diaboli agunt priuate vel publice contra Christum, ut episcopi cum suis satellitibus imponunt fidelibus hereses predicando et sic impediunt eos predicare in sua dyocesi, vel per pseudo fratres, nisi quod Christus graciose eos impedit, excitant, quod tales presbiteri comburantur. Et cum apostolus dicat: "periculum in falsis fratribus" (2. Cor. 11, 26), non fuit callidior persecucio a diabolo post ascensionem domini machinata. Fratres autem ex sua cautela innata, quam didicerunt a patre mendacii, nituntur laboriose in populo famam talium sacerdotum denigrare. Verum non est nobis facile nunc omnia sua mendacia facta contra tales presbiteros declarare. Et si quid in eis laudabile repertum fuerit, nituntur ut pharisei de Christo dixerant, quod in Beelzebub principe demoniorum eiicit demonia, quodcunque in melius sonauerit, nequiter deprauare. Quidam autem scolastici dicunt de talibus presbiteris, quod sunt stolidi atque rudes; sed confortentur in domino, quia certum est ex fide, quod fidelibus perseuerantibus merces multa reposita est in celis.

Cap. V.

Superest videre, *quomodo diabolus introducit istam cautelam proditoriam paulatiue.* Sic scilicet, quod principale ministerium, quod Christus instituit in sua ecclesia, est sopitum. *Una* autem cautela est dotacio vel secularis donacio sacerdotum, propter quam necesse est eos tanquam dominos seculariter conuersari. Sed istud est alienum ab ewangelisacione et sequela humili nimis domini Jesu Christi. *Secunda* cautela extensior est, quod curati non contentantur de regula saluatoris, quod habentes alimenta et tegumenta de hiis humiliter contententur, et propterea necessitantur in curis mundialibus inviscari; nec sapiunt ewangelisandi officium, sed id quod confert eis lucrum temporalium, quia non conducuntur a Christo, ut acquirant sibi et suis ouibus regnum dei, sed ut viuant laucius secundum carnem et voluptatem seculi. Et in talibus mundanis causis et non in causa domini conducuntur, et sunt in hoc nimis solliciti tanquam filii antichristi. *Tercia* causa dimissionis ewangelium predicandi est appropriacio basilicarum quintuplicium, quam

appropriacionem curati glebati[1]) in talibus basilicis paruipendunt, ut monachi atque canonici, capelle regum atque ducum, collegia universitatum; et appropriaciones ecclesiarum cathedralium defraudant parochias a predicatoribus legitimis verbi dei. *Quarta* causa ex parte diaboli frustrantis predicacionem huiusmodi est seminacio pseudo fratrum, qui in prouinciis onerant pauperes parochianos, quantum de temporalibus possunt et amplius de rapinis subdolis sufficere. Et tota sollicitudo est eorum, non verba ewangelica et saluti anime subditorum utilia seminare, sed fraudes ioca mendacia, per que possunt populum facilius spoliare. Nec dubium, quin populus in isto pocius parcialiter sit in causa, quia populus non debet a pseudo sermones suos attendere, et quidquid dixerint, non curare, dum suspectum esse debuerit, nisi cum deliberacione matura in lege domini sit fundatum, et habens pseudo fratres huiusmodi plus despectos quum statim post predicacionem suam faciunt collectas in populo, vel in spe collectarum huiusmodi non predicacionem verbi domini gratis donant. Tales enim debent despici vel aufugi tanquam notorii discipuli antichristi. Nec solum propter dicta, sed quia sunt noue secte sine auctoritate domini ad onus ecclesie introducte, deberet enim parochiis cunctis sufficere seruicium quod sacerdotes proprii humiliter subministrant. *Quinta* causa tanquam circularis numerus plus fundans dogma regis superbie est predicta auctoritas romane curie, quam simplices notant ut ewangelium, quod quidquid decreuerit, est ut fides ecclesie capiendum. Et ideo diabolus laborat per istam curiam in ecclesiarum appropriacionibus, in sectarum infundabilium confirmacionibus et in multarum tradicionum infidelium publicacionibus, ac si ista curia non intenderet saluti anime christianorum, sed quomodo posset eos decipere sua temporalia yppocritice auferendo. Verum, ut dicitur, papa in propria persona per suos pseudo cardinales a predicacione ewangelica prohibetur. Quid mirum, si tot antichristi leges et satrape prohibeant sacerdotes simplices predicare? Ut fidem tamen capimus, quod Christus fuit in sermocinacione plus humilis mansuetus, plus facilis et subtilis; nil ergo moueret racionabiliter ad aliquem sermonem attendere si non ad sermonem domini nostri Jesu Christi. Et hic erubescerent prelati cesarii, quod, licet teneantur sub pena graui populo ewangelice predicare, tamen et officium istud dignissimum omittunt proditorie, et alios, qui predicarent secundum formam ewangelicam, non permittunt, et sic sunt nequiores phariseis, qui nec in persona sua in ministerium Christi introeunt nec volentes ex consciencia intrare permittunt[2]), cum Christus requirit talia de manibus sacerdotis, ut patet Ezech. 3 (17 sqq.). Et ista nequicia antichristus per multas cautelas sophisticas seducit alios et ipsemet est seductus.///

1) glebati] globati, MS.
2) cf. Math. 23, 13.

Cap. VI.

Restat videre ulterius, quomodo *domini temporales* impediunt Christi ordinanciam, quod est peccatum ingratissimum post tam grata Christi beneficia eis data. *Primo* enim *fundant castra caimitica* [1]), ac si vellent plantas Christi a fructificacione ecclesie impedire. Istud autem manifeste impedit Christi ordinanciam et profectus, secundum quos fideles in ecclesia laborarent. Numquid credimus, quod Christus non sciuit fundare talia castra et hoc genus merendi fraudare, ut ad ipsum nullus de secta Christi potuerit peruenire? Nam apostolos suos disposuit post ascensionem suam summe libere, et non permisit eos latere claustrales, nec improuide sine causa. Ad tantum quidem videntur arbores iste esse inanimate [2]), quod videantur innuitiue deo dicere: dampna omnes fideles pauperes et inopes, qui te in vita et moribus consequuntur, et beatifica nos mundo diuites qui [3]) edificamus contra ordinacionem tuam castra, in quibus nutriuntur tot gulosi discipuli antichristi! Fideles enim debent cognoscere, quod si in edificiis talibus latet meritum, deus, qui est uniuersalis dominus, vult premiare quemcunque seruum suum, qui seruiuit hic sibi filius in via; non enim debent diuites huius mundi sperare, quod habebunt appropriate merita propter castra talia vel fundaciones nouas antichristi, sed oportet eos attendere ad ordinacionem dei sui. Religiosi isti ad tantum cecantes seculares dominos volunt in personis propriis caritatem fictam in aliis exemplare, qui quantumcunque sunt diuites, nolunt secte alteri castra talia edificare. Cum ergo caritas non querit que sua sunt, sed exemplificat in vita et opere id quod precipit vel consulit adimplere, patenter videtur, quod heresis yppocritica istorum nouorum ordinum cecat hos dominos temporales. Sunt nempe de collegio phariseorum, qui „dicunt et non faciunt". Ideo ad speculum fidei Christi debent attendere et cognoscere, quod tales nouitatum fabrice parum vel nil valent suffragiis animarum. Christus enim facilitauit viam hominum in hac vita et non docuit sibi edificare castra talia; sed sua ordinacio est contrariata plurimum et despecta. Seculares autem, qui habent circa temporalia occupari, possunt licite sibi construere talia edificia cum moderamine, aliter quam sacerdotes qui debent propinquius sequi Christum. Ideo sciant mundani, quantumcunque hic dominentur in seculo, quod non sufficiunt nisi per horulam ex Christi licencia sic ditare e edificare vocatos presbiteros, sed realiter discipulos antichristi. *Secundo* autem erigunt seculares domini suam potestatem contra Christum in hoc, quod *curatos presbiteros* contra suum sensum *detinent in suo ministerio.* Et hoc est sepe dictum esse contra Christum prodicio maiestatica [4]),

---

1) caimitica] i. e. cainitica. Auctor innuit claustra, abbatias et similia.
2) cf. Ep. Judae v. 12.
3) qui] que, Cod. MS.
4) maiestatica] sive prodicio majestati regiae Christi adversans.

quod palliant talem esse sacerdotem Christi et per consequens quod sit habilis ad Christo, sicut ipse instituit, ministrandum. Et cum instituunt illum in suo seruicio incompossibili[1]) Christi seruicio, non potest esse Christo absconditum, quomodo produnt eum in officio precipuo, quia in custodia animarum. *Tercio* seculares domini magis culpabiliter, licet apparenter remote, defraudant a seruicio Jesu Christi: ipsi enim debent tales spongiositates peccati destruere, cum hoc spectat ad potestatem dominorum collatam[2]) a deo; istud autem non destruunt sed defendunt, quod tales abbatie vel nouitates infundabiles vendicant hos patronos. Et fideles latentes in claustris talibus, qui volunt legem dei asserere, incarcerant ut hereticos vel latrones. Nec dubium, quin maior dominus, sicut Christus dicit *Luc.* 11 (22), cadit precipitanter in crimine in minorem. Omnia autem ista sunt in vita Christi ut in speculo infallibili expurganda. Assimilent ergo seculares domini se et suos regule et ordinacioni Christi, et non dubium quin invenient illam facillimam[3]), plus meritoriam et utilem undiquaque.

Cap. VII.

Restat videre ulterius, *quis curatus debet* secundum legem dei et racionem *populo prefici*. Nec dubium, quin curatus in intellectu et affectu[4]) ad exercendum curatoris officium instructus debet prefici dando populo. Et dum non fuerit contencio circa temporalia sibi incumbencia, maior contencionis occasio est sedata. Et tunc foret eleccio parochianorum libera et curati volicio ratione meriti limitata. De prefeccione autem pape vel sui episcopi, de gleba ecclesie cum curati officio cum aliis sibi secundum mundum pertinentibus parum curo. Quibusdam autem videtur, quod proprie non pertinet ad istud officium sic generaliter, quia certum videtur illis, quod non potest fundari in lege domini, nisi, ut loquar yronice, super illo Luc. 12 (14): „O homo, quis constituit me iudicem aut diuisorem super vos?“ Si ergo Christus renuit iudicium seculare, quod approbat in lege veteri, multo magis ipse renueret iudicium plus palliatum, quod ipse nec approbat in lege veteri vel noua. Christus enim elegit apostolos episcopos, et apostoli post ascensionem elegerunt alios; verumtamen non sic dotati fuerant, sed omnino a tradicionibus iam currentibus alieni. Quis igitur papa est ille, qui habet recenter in scrinio cordis, quis curatus cui parochie est secundum voluntatem domini preponendus? Videtur multis, quod sapit cecam cupiditatem et non

---

1) incompossibili] = incompassibili, i. e. quod abhorret a ministerio salvatori exhibendo.

2) collatam] collatiam, MS.

3) facillimam] facillima, MS.

4) affectu] aspectu, MS. Auctor *intellectum* atque *affectum* et distinguere et conjungere solet, cf. P. I. c, 16, p. 25.

profectum anime subditorum. Et videtur eis ulterius, quod papa nec speculatiue nec practice scit de curato tali discernere, nec requirit mores vel speculatiuas virtutes talis curati, sicut nec ad salutem anime proprie prouidet in se ipso. Tolle ergo lucrum temporalium, et tota ista presumpcio est sedata.

Et quantum ad glebam parochie, certum est, quod est cerimoniale plus abiectum, quam fuerunt cerimonie veteris testamenti. Habeant ergo cultores domicilium quantumcunque incertum fuerit, dum tamen bonum perfecerit quod pertinet pastorali officio, non est cura, „quia non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.“ [1]) Videtur autem quibusdam, quod ad *regem* spectat potissime, mediantibus ministris suis prudentibus, de sagaci pastoris officio prouidere, quia istud officium notabiliter spectat ad regis regimen; cui igitur confertur regni gubernaculum, eidem debet prescribi sagax prefeccio huiusmodi prelatorum. Sicut enim sacerdotes sunt quasi vita subditis, sic sunt pax et tranquillitas regni, quod incolunt, docentes quomodo incole debent superioribus obedire. Et cum sint serui Christi, qui „cepit facere et docere“ (Act. App. 1, (1), patet, quod sacerdotes illi debent regi et ducibus et aliis dominis secularibus precipue obedire. In veritate autem reges sunt et seculares domini ad istud ydonei, ymo proprie parochie, de curato ydoneo prouidere. Nec obest, quod seculares statuant sibi talem in Christo vicarium, quia virtus, que debet vigere in ipso, est tocius nature composite, et sic regulancia tam corporis quam anime. De noticia autem talis virtutis possunt parochie et alii conuersantes magis cognoscere quam auari alii plus remoti. De institucione autem vel induccione aut episcopi aut sui archidiaconi non est cura, quia specialiter iste videtur profectus in isto, quod curati iuramento et alio vinculo sint confederati cum diabolo plus quam forent isto ritu superfluo pretermisso. Licet autem, supponitur, ista sentencia sit multum remota ab ecclesia militante, tamen scitur, quod non repugnat sed consonat legi domini Jesu Christi. Et facile foret deo populum ad talem rectitudinem preter antichristinam versuciam inclinare, specialiter cum ista rectitudo stat in curatis et in parochiis et in iusticia secularium dominorum. Medicina autem empirica foret, nulli tali prelato tribuere decimas vel quamcunque elemosinam corporalem, nisi comperto, quod laborat assidue in officio pastorali. Et tunc preficientes curatos indebite tam hic quam in alio seculo condolerent, hic quidem, quum non venit lucrum quod expectabant, et in alio seculo, quia ibi dampnabitur tam per peccatum ex reatu proprio, quam consensus.

Cap. VIII.

Superest videre ulterius *de supplecione vicaria* in isto officio. Licet autem multi vocati curati habent vicarios, loquerentur tamen in preposicione

---

1) cf. Hebr. 13, 14.

de funccione corporali loco curati ad finem, quomodo ipse per se vel per alium colligat pecuniam vel lucrum, quod vocatur vulgariter "fructus beneficii". Et supposita non hereditacione in tali officio, videtur quod sit contra legem dei et racionem, aliquem talem curatum sic per vicarium respondere, nam unusquisque talis curatus in propria persona tenetur non solum pro datis ouibus deo, sed pro militante ecclesia secundum suum meritum respondere. Sed cum eo ipso, quo superstes fuerit, necesse est ipsum pro datis ouibus respondere, ergo eo ipso, quo superstes fuerit, necesse est ipsum in propria persona pascere illas oues. Et cum totum meritum curati debet ad deum dirigi, nimis difficile videtur, quod curatus absens plus quam corporaliter presens iuuet spiritualiter oues suas. Scitur tamen, quod spiritualia opera misericordie que debent impendi per vices, requirunt proporcionem localem pastoris ad oues. Sed de talibus operibus misericordie, cuiusmodi est predicare, est in istis pastoribus parva cura. Similiter nullus curatus potest deo satisfacere per vicarium, quin ipsemet in persona propria portabit peccatum quod attinet sue persone; ideo licet instituerit mille vicarios, non tamen excusat quin lepra peccati proprio suo spiritui correspondet. Ideo videtur, quod ista humana tradicio sapit heresin contra apostolum Gal. 6 (5): "unusquisque onus suum portabit." Et in symbolo Athanasii [1]) dicitur, quod "omnes homines reddituri sunt de factis propriis racionem." Ideo ista leuis tradicio humana est a tractatu fidelium nimis leuiter transuolanda. Certum quidem est ex fide, quod sancti communicant in vita meritoria se iuuantes, sed unusquisque comportat onus proprium in quantum fuerit christianus. Similiter antequam fuerit talis tradicio de remunerando talem curatum cum decimis et oblacionibus inuenta, tenebatur ille curatus adiuuare datos subditos quantum sufficiebat; nec est debitum istud laxatum vel immoratum propter tradicionem illam humanam, ergo adhuc tenetur iuuare datum populum spiritualiter, quantum sufficit. Limitacio ergo ad iuuandum datas oues videtur ad hoc proficere, quod iuuet eas secundum incorporalem circumstanciam specialius quam secundum meritum quoad deum; nec potest fraudari a Christo vel racione, quod iuuamen tale ex valencia temporalis commodi est taxandum. Verum quidem est, ut dicit apostolus prima Corinth. 9 (14), temporalia necessaria pro perficiendo isto officio sunt curatis a populo ministranda. Sic enim homines iuuarent sese reciproce in statu innocencie, et sancti apostoli iuuerunt sese reciproce et alios duce Christo. Ideo ista lex caritatis quoad debitum per neminem potest tolli, deus ergo non potest tolli per posicionem istam vicariam, sed dampnari oportet delinquentem in persona propria et sic ligare suas animas ad respondendum in die iudicii pro anima dati diuitis ut saluetur, sic tamen quod notabilis pecunia eis detur. Grauare quidem possunt peccatum finalis impenitencie ex inducta perfidia, sed non saluant. Et per hoc tolleretur vesania curatorum, qui reputant,

1) Athanasii] Anastasii, MS.

quod licet eis colligendo pecuniam gerere officium pastorale, cum tamen ipse maneat in curiis extraneis extrauagando in viciis, et tamen hic habebat vicarium in beneficio supplente signum suum sensibile, licet sepe sit sophisticum quoad mundum. Quidam autem dicunt, quod talis curatus habet quendam diabolum vicarium suum assiduum, qui in illo loco continuet culpam suam, et per talem vicarium contingit beneficiatum eciam sutorem vel quemcunque indignum habere quotquot pinguia beneficia cum hoc quod iste vicarius pro eo satisfaciat quoad mundum. Verum quidam dicunt, quod tales sunt curatores pecuniarum et non animarum, non pastores ouium Christi sed edorum[1]) diaboli, non discipuli Christi sed discipuli antichristi, non angeli lucis sed spiritus tenebrarum; et sic non sunt lux mundi illuminantes populum per fidelem predicacionem, sed sunt peccatorum tenebre obscurantes ecclesiam secundum suam peruersam exemplificacionem, non sal condiens terrenos homines ad celestia sapiendum, sed sal infatuatum atque infatuans et ad peccata incitans et ad penas thartareas inducens. Obsecramus autem, quod deus preseruet nos et suam ecclesiam ab hiis lupinis officiis, cum ista crimina sint plurimum occulta.

Cap. IX.

Superest videre ulterius, quomodo *electores*[2]) et electi *ad ista beneficia* incurrunt indignacionem dei et sepius sese dampnant. Electores quidem sepe stulte consenciunt ymo auctorisant siue originant nequiciam pastoralem; et cum consensus sit tantum facinus, debent timere deum atque diabolum de consensu. Licet autem multi errant sepius in consensu, ista tamen ignorancia videtur crassa et supina propter temporalem causam illicitam affectatam, ut quum electores vel procuratores curatum eligunt hac de causa, ut recompenset in eis lucrum temporale, quod sepe fit ut diabolus inviscet animam in voragine peccatorum. Quid ergo mouet electores huiusmodi ad se in tali crimine taliter intricandum? Ista autem ignorancia[3]) propter suam ruditatem et lucrum temporalis commodi dicitur ab aliquibus esse crassa. Et quia elector subiacet prostratus diabolo, non opponens sibi resistenciam plus quam mortuus, est supina; ideo tales electores sepe originant talia crimina in hoc mundo. Ideo de illis verificatur illud vulgare, quod "non est pecus in biga audacius quam cecum." Apostoli quidem illuminati spiritu sancto post ascensionem non audebant onus illud assumere, sed timentes periculum orabant et mittebant sortem in eligendo Matthiam, ut patet Act. 1 (23 sqq.). Que ergo prudencia vel fundacio in Christo vel racione, eligere personam, quam electores vel suspicantur vel dubitant dignam, imo a communiter contingentibus debent ipsam aufugere ut indignam? Nec de isto contentatur cautela diaboli, sed instituit leges multas, quod eo ipso, quo electus maiorem partem vel sani-

1) i. e. haedorum cf. Matth. 25, 32 sq.
2) electores] elecciores, MS.
3) iguorancia] iguoranter, MS.

orem reputacionem hominum habuerit, reputant istam eleccionem esse validam, ac si procederet ex sapiencia dei patris. Quis, inquam, dubitat, quin ista lex sit iniqua, constanter a primo principio obliquata, que statuit, quod eo ipso, quod talis eleccio a personis quas dignas reputat celebratur, est valida ac si a deo procederet, nisi forte antichristus eleccione variauerit propter pecuniam vel aliud quodcunque temporale. Non est autem in potestate talis Luciferi vel fraudes talium electorum cognoscere vel futuricionem [1]) malicie, que prouenit in electo. Cum ergo secundum regulam peritorum diffiniens in causa sibi ambigua concernente salutem anime peccat, quanto magis tendens talem muscipulam ad regulariter pisces diaboli in prelatos capiendum! Quis ergo nisi demens intenderet istis legibus ad ipsas eciam propter lucrum temporalium practisandum? Nec valent excusaciones in ista materia que finguntur. Dicunt enim quidam, quod forte potest contingere, quod magis inhabilis sit prefectus, ideo sortes regulariter in eleccionibus prohibentur. Sed notet sic obiciens, quod eligentes per sortem primo eligerent ad *tale* officium, quod deus instituit et est quoad lucrum mundialium satis macrum. *Secundo* notaret, quod persone eligantur plus habiles, ad quantum humana noticia se extendit. Sic enim elegerunt apostoli Matthiam et Joseph, et quia non de alterius eorum preeminencia spiritus reuelauit, ideo de isto sic ignorato petebant diuinum consilium. *Tercio* notet sic arguens, quod secludatur ab electoribus iniusta cupiditas; sic fuit in apostolis; et quod orent humiliter, quod deus ostendat, quem ipse elegerit de personis, quas reputant ipsi esse dignas. Et cum istis paribus creditur non esse possibile, quod regula diuina deficiat electoribus, qui hoc seruant. Et hec creditur racio, quare quidam deuotus populus memor salutis anime eligeret expertum presbiterum atque ydoneum, qui propter nouitates infundabiles non foret eidem populo onerosus; dum autem populus in isto contenderit vel a veritatis rectitudine declinauerit, tenere ipsum in semita iusticie spectat ad dominos temporales.

Cap. X.

Superest videre media, per que electus in talem prelatum debet stare in limitibus racionis. Constat quidem ex fide, quod sicut necesse est ipsum deo subici, sic necesse est ipsum subici legi dei; lex autem dei obligat ipsum ad merendum tantum ut potest suis subditis et eorum cuilibet, antequam talis cura spiritualis ouium est admissa; sed tantum prius suffecerat sicut post; illis ouibus promereri, ergo tantum prius obligabatur quoad deum, sicut postmodum obligatur. Et ut fingit ex accepcione talis cure, plus illis ouibus obligatur; ergo plus illis ouibus obligatur, quam sufficit ad merendum; ideo non superest nisi mercari cum temporalibus secundum leges humanas, licet non derideamus deum, frustrando, quantum sufficimus, legem suam. Et propter talem consideracionem dicunt periti, quod de quanto viator est apud deum

1) futuricionem] futuricione, MS.

grācior, de tanto est sibi obligacior. Ideo Christūs fuit obligatissimus homo mundi et de tanto liberior, et beatus alius est adeo obligacior, quam fuerat hic in via. Et si ista racio cum suis appendiciis bene pensetur, nemo accipiet hic temporalia nisi vite necessaria pro aliquo ministerio bonorum spiritualium hic ministratorum, quia ut dicit Christus Matth. 6 (2): "Receperunt mercedem suam," ubi docetur, quod remuneracio affectata ab hominibus siue per medium vane laudis siue per medium lucri temporalis, dum hic viatur, tollit de premio meritorum in patria. Et hec racio, quare homo debet facere merita ut elemosinas aut alia hac in vita *abscondite*; et per ista demonstratur regula 1. Tim. 6 (8): "habentes igitur alimenta et quibus tegamur, hiis contenti simus." Nec video, quibus subditis prefeccio ista proficit, nisi quod limitauit ad corporales circumstancias, per quas dato populo ydonee predicetur; quia cum merita nostra sint plene in manu dei, in potestate sua est, secundum regaliam sibi propriam ipsa merita quibus ipse voluerit dispertire. Ideo nec talis affeccio prelati, nec oracionis sue appropriacio, nec persone cui suffragari intenditur cogitacio, sed dei accepcio secundum dignitatem persone facit suffragari defuncto. Et utinam ecclesia militans clare conciperet istum sensum! Et hec racio, quare sacerdotes Christi non vendicarent hic amplius in via quam alimenta et quibus tegerentur, et non illa ut mercedem, sed ut instrumenta preambula ad mercedem. Curatus autem, qui ponit mercedem vel finem in talibus, est in ianuis[1]) ut dampnetur. Ideo cum duo sint, que iacent super suo officio, scilicet sua recta intencio et ministerii sui complecio, nimis graue videtur sibi nouercare in hoc ministerio, et difficile videtur quin erret, cum tale ministerium sic secūlariter affectatur, quia videtur quod in tali affeccione preponderat lucrum temporalium ultra merita sui vel ouium, quas sic pascit. Nec dubium quin talis obliquitas in intencione inficit laborem et tollit meritum, nisi postmodum reuiuiscat; precipue autem cauendum videtur, quod tales curati non ponant finem sui laboris lucrum temporalium hic in via. Unde solet dici communiter, quod obligacio quoad deum est maxima, et obligacio homini quoad illam est modica siue nulla et longe disparis racionis. Et propter talem metricacionem[2]) sepe dictum est, quod homo est plus obligacior, dum plus quoad deum false se reputat obligatum. Unde quum quis capit de alio ampliora temporalia, se reputat plus propterea obligatum. Et tum potest contingere, cum propter ea sit peior in merito, quod est *minus* tam deo quam proximo obligatus. Hoc tamen solet dici communiter, quod interlocuntur homines de maioritate obligacionis vel meriti satis equiuoce, scilicet extensiue et intensiue. Extensiue quoad diuturnitatem temporis, pro quo homo meretur vel incomplete temporaliter obligatur. Intensiue autem homo plus meretur siue

---

1) in ianuis] i. e. in limine damnationis.

2) metricacionem] i. e. justam mensurae ac modi definitionem cf. vocabulum *metricabilis* in fine c. 15. partis prioris, p. 24. not. 3).

obligatur, quum premium suum est maius secundum quod taliter obligatur. Sed scolastici se de ista materia intromittunt, ideo de illa materia nobis rudibus non est cura, sed satis est nobis, quod factum istius materie cognoscamus. Et patet quomodo contingit varie obligacionem hominis vel meritum esse extensius et nunc intensius quoad deum. Et sepe creditur, obligaciorem hominem esse deo, cum tamen sit deo minus propter detrimentum sui meriti obligatus. Omnes tamen dampnati habent sufficientem causam, per quam sint ad penam perpetuam obligati. Et in isto est communis distinccio de gracia predestinacionis et gracia secundum presentem iusticiam; quam distinccionem necesse est notare uniuersalibus, cum oportet. Utrum autem dampnati sint obligati deo per suam dampnacionem perpetuam et viatores propter quamcunque penam quam infert ex sua iusticia, est aput scolasticos difficultas. Sed tales difficultates non multum apprecior, sed contempno.

Cap. XI.

Superest videre, *quomodo* tales *curati infecti istis reatibus possunt satisfacere deo honeste et ecclesie* militanti. Et videtur mihi, quod ego et forte mei similes lapsi sumus in ista materia multis modis. Sunt autem *tres gradus* in genere, quibus lapsi sunt clerici sub ista pauperie Jesu Christi. *Primus gradus* est in occupando dominium seculare. Et in isto gradu sunt papa, episcopi, abbates et alii multipliciter transformati. In *secundo gradu* sunt habentes possessionem temporalium mobilium vocatorum, secundum nimiam[1]) sollicitudinem possidendi. In *tercio gradu* sunt clerici candentes cupidine temporalium, et dimissa sollicitudine circa curam anime sollicitudinem nimis magnam proiciunt ceteri[2]) questus temporalium huius mundi. Quantum ad omnia ista dicendum breuiter videtur, scripturam precipere, ut non admittantur antiqua crimina et doleatur fructifere pro commissis, iuxta illud Joh. 8 (11) dictum adultere: "Vade et iam amplius noli peccare." Istud autem dictum videtur ex hoc sapere sanitatem, quod fundatur in fide scripture et excitat ad sequelam et similitudinem domini nostri Jesu Christi. Sed quis scrupulus consciencie stat in isto? Specialiter autem exhortande sunt tres secte dotate, ut sequendo Christum deserant dona, que eis subdole sunt annexa. Nam dum remanebit affeccio animi ad ipsa taliter occupanda, certum videtur, quod occupantes inuoluuntur in volutabro peccatorum et sic iniuriantur deo et toti ecclesie, deo quidem quia deberent sibi ipsis secundum legem Christi et residue parti ecclesie, secundum formam pauperiei Christi et legem quam ipse dedit, proficere, quod omittunt. Ideo cum totum meritum eorum dependet ex gratitudine vel gracia saluatoris, verum videtur, quod tales clerici tam pertinaciter Christo ingrati sunt valde indispositi ad sibi et populo promerendum. Similiter nullus dubitat,

1) nimiam] minimam, MS.
2) *ceteri* usurpatum numero singulari pro: reliquus, reliqui.

quin clerici sic exuendo ista dona sint exonerati a curis temporalium et magis dispositi ad populo ministrandum secundum regulam legis Christi. Sed quis dubitat, quin hoc foret melius et placencius Jesu Christo et negans assumptum in vita et doctrina domini nostri Jesu Christi? Quomodo ergo versi sunt clerici ab altilibus celi in colubres, et discipuli Christi in phariseos colantes culicem et deglucientes camelum[1]? Nam coniugium secundum legem Christi eis licitum odiunt ut venenum, et seculare dominium eis a Christo prohibitum[2]) nimis auide amplexantur. Sicut secundum fidem, quam Paulus exemplificat, et experienciam deuotis cognitam clerici specialiter debent terrena illa odire ut stricciora[3]) et celestibus conuersari. Sed adhuc maxime dominacio secularis indisponit; igitur clerici debent dominacionem istam excutere. Clerici quidem tenendo legem Christi forent facilitati ad beatitudinem acquirendam tam sibi quam aliis, ubi iam difficultantur vel impossibilitantur, cum hoc in multis periculis mundialibus tam quoad corpus quam quoad animam inuoluuntur. Felix ergo foret illorum per Christum conuersio, supposito quod secularibus omnes istas dominaciones gratis relinquerent et tenerent fructuose pauperiem, quam Christus docuit suos apostolos. Dico autem illam conuersionem felicem, quia ubi domini temporales ex instinctu diaboli gratis sed stulte eis[4]) dederant ista dominia, ipsi e contra gratis sed sapientissime dominis secularibus redderent, que sunt sua. Et ubi nunc splendent in domibus, in apparatibus et gestis singulis luciferina superbia, tunc lucerent deo et sanctis suis in paupertate et spirituali castitate et humili Christo obediencia. Et idem est in parte iudicium de inferioribus curatis, qui habent ecclesiis, prebendis vel aliis prouentibus ecclesiasticis annexa dominia vel patrimonium seculare. Vel igitur remaneant pure clerici instar Christi, vel pure seculares domini, cum duplicitatem talem in possessione et affeccione propter falsitatem, quam implicat, odit Christus.

Quantum ad *excessum possessionis mobilium*, affeccio animi specialiter est cauenda. Et si diuicie affluant vel defluant, propter earum impertinenciam sacerdotibus non sit cura. Nec dubitemus de dei prouidencia, qui tribueret temporalium copiam et carismata[5]) ampliora, quia ex fide credimus, quod vel foret egeno utilius vel foret in penam peccati sui, quod carencia temporalium taliter est punitus. Sed quis non cum gaudio susciperet hunc euentum? De curatis autem, qui manserint continue *inhabiles* ad officium pastorale, videtur multis, quod nomen officii illius pure dimitterent et prudenter, licet necessitati fuerint viuere vitam pauperem in hoc mundo, deus enim necessaria prouidet pro cunctis hominibus, ut docet in parabola Matth. 6 (26) de volucribus celi et liliis agri. Sed ista fides in pluribus est sopita. Curati autem qui sunt *de propinquo habiles*, darent studiose diligenciam ad conformandum se legi domini in duobus, primo, quod habentes alimenta et quibus tegantur, hilariter

1) cf. Matth. 23, 24. 2) cf. Luc. 22, 25 sq. 3) i. e. angustiora, viliora.
4) eis] eas MS. 5) i. e. charismata.

contententur, secundo quod apponant diligenciam ad militanti ecclesie et specialiter suis subditis spiritualiter prodessendum, eciam specialiter in sanctis exhortacionibus tam opere quam sermone. Et ex eodem sequitur, quod omnes secte quatuor nominate ritus suos secte Christi superadditos omnino dimitterent et in pura secta Christi suas curas limitarent.

Cap. XII.

Licet autem opus meritorium debet esse voluntarium, euenit tamen, ut Paulo contigit, quod opus debitum primo sit inuoluntarium, et cum coaccione operis gracia infundatur. Opus quidem extrinsecum bonum de genere non est tam excommunicatum vel alienum a domino, quin posset cum illo graciam infundere viatori. Et ideo videtur, quod *clerus* in omnibus hiis sectis quatuor sit *ad reditum religionis domini* in omnibus *compellendus*. Loquor autem de compulsu caritatiuo ut loquitur evangelium Luc. 14 (23), et Christus exemplauit de Paulo Act. 9. Que igitur cecitas cruciat sic brachium seculare, quod, ubi est summa auctoritas et correspondens facilitas habens annexam utilitatem anime et amorem, brachium seculare hoc renuit, licet sit tam utile ecclesie tam in hoc seculo quam in futuro! Sed corporalem occasionem [1]) precipit propter leuem causam mundanam, ut leue furtum vel flatus falsos testium vel causam aliam deridendam, ubi nec subest auctoritas, nec lucet caritas, nec finis, propter quem sit talis punicio, fundatur in vita vel fine in qua relucet iustitia diuina vel equitas. Deus autem, qui est summa racio, requirit racionem reddendam de talibus stultis factis. Si enim brachium seculare aufugit communicare cum noto regis proditore terreni, ymo apponit diligenciam ad ipsum capiendum et atrociter puniendum, quid facit cum notorio proditore regis celestis ex fide scripture, qui [2]) infert ecclesie continue tantum dampnum? Reuera fides, spes et caritas videntur nimis in ista materia titubare. Sepe autem dictum est, quod non claret nobis occasio [3]) vel martirium ex lege gracie nostris fratribus inferendum, sed temporalium subtractio [4]), communicacionis negacio, vel si fieri oportet, corporalis ligacio; nec dubium, quin aliquid istorum prosecutum prudenter a brachio seculari necessitaret clerum. Sic et caritatiue posset inducere ad sequelam diaboli dimittendam. Ipsa enim in *primo decretalium* de maioritate et obediencia dicit Cesari [5]), quomodo alii principes assurgunt prelatis cesariis et ponunt eos in mediatos suis lateribus. Sed reuera ista laus elata non videtur evangelica, ut patet ex fide scripture Jacobi 5 (1 sqq.). Sed plus apparet evangelicum, excludere tales pre-

1) i. e. occisionem.
2) qui] que, MS.
3) occasio] i. e. occisio.
4) subtraccio] subtractiua MS.
5) Decretalium Gregorii Lib. I. Tit. 33, c. 6. Corpus juris canonici ed. *Richter* 1836. P. II. p. 189. sqq.

latos cesarios, ne intrent in hostium [1]), quia fauor talis videtur conferre fomentum ad hostem domini defendendum. Ideo debent principes notare fidele *Decretum Ysidori* 23 questio 5 „*Principes*“ [2]), ubi sentenciat, quod siue crescat siue decrescat ecclesia, Christus requireret ab eis racionem in die iudicii, quomodo potestatem quam eis dederat in isto ministerio exercebant. Nec dubium, quin inter milites in isto ministerio desides iacet dampnacionis periculum. Quos ergo diligit tale brachium? Reuera non istos clericos, cum eos tantum nutriat et defendat ad Gehennam. Numquid ista dileccione Christus dilexit suos filios carissimos? Et cum ex fide capimus secundum ewangelium Joh. 13 (1), quod non est dileccio sed simulatum odium, nisi ex dileccione, qua Christus dilexit suos apostolos, fuerit exemplatum, eya milites Christi formate in vobis secundum exemplar patroni vestri Christi sinceram et mutuam caritatem, quia labor in isto et non luciferina fraudacio in fictis elemosinis et pinguibus et cupiditate et superbia introductis facit militem Christi gloriosum. Regula autem audacissima ad faciendum in nomine Christi istam victoriam foret cor docile regis vel ducis, qui cum habeant tantam euidenciam, quod dotacio ista cleri sit expresse contra Christi regulam, debent ex auctoritate domini omnia ista dominia cleri confiscare. Et in signum, quod omnia ista facit secundum caritatis regulas, notificari potest clericis, quod ipsi cum omnibus suis complicibus doceant infra septennium, quod dominacio ista sit licita vel secundum legem Christi fundata. Et habebunt responsum racionabile infra dictum septennium, quod fideles racionabiliter quietaret. Nec est paruipendenda ista sentencia, cum super ipsam iacet beatitudo vel perpetua dampnacio tam in persona cleri quam secularis brachii, qui finaliter consenserint isti culpe. Et reuera ipse foret infideli deterior, qui plus ponderaret affeccionem carnalem vel temporale commodum, quam salutem anime sue vel dampnaciocem perpetuam in Gehennam. Quis igitur vel mente sobrius offendetur seculari brachio propter hoc, quod racionabiliter habet curam salutis sue perpetue et populi, quem dederat deus sibi regulandum? Et dehortans regem vel principes a perfeccione istius operis in hoc docet se proditorem regum temporalium et Christi nostri domini regis regum.

Explicit secunda pars de officio pastorali.

1) i. e. ostium.

2) Decreti secunda pars, causa 23, quaestio 5, cap. 20: „Principes seculi nonunquam intra ecclesiam potestatis adeptae culmina tenent — —, — *Nam sive augeatur pax et disciplina ecclesiae per fideles principes, sive solvatur, iste ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam ecclesiam credidit*“ Corpus juris canon ed. *Richter* I. p. 809.

Lipsiae, typis A. Edelmanni, typogr. acad.

Corrigenda.

Pag. 3. lin. 13: 19 pro 18.
„ 4. „ 33: *exposuit* pro: legimus.







